MEYER
SELEC
PHYSIC

1617

ddd
9 43
B
a 44

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark
MEYER, S.

65597/A

XIV

SELECTORVM PHYSICORVM MEDICINALIVM, POLITICORVM, ALIORVMQVE.

MAXIME MEMORABILIVM, EXQVISITORVM.

Publicæ priuatæq; ſalubritati ſeruientium.

SYLLOGE PRIMA.

PER SEBASTIANVM MEYERVM Landſpergium. M. D.

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea, perpetua ſemper dignißima vitâ.

Permiſſu Superiorum.

FRIBVRGI BRISGOIÆ.
Ex Typographeio Ioannis Straſſeri.

Anno M. D C X V I I.

NOBILI, CLARISSIMO, CONSVLTISSIMOQVE

VIRO,

DN. STEPHANO LVCIO, I. V. D.

DOCTRINARVM FAVTORI MAXIMO.

COGNATO, MECOENATI, DOMINOQVE SVO, PLVRIMVM COLENDO.

SEBASTIANVS MEYERVS, LANDSPERGIVS. M. D. HANC PRIMAM SELECTORVM SYLLOGEN, OBSERVANTISSIME.

D. D. D.

LECTO-

LECTORI. S.

EX optimis optima, (imitatione Zeuxidis) aurū, gemmas, vniones eligere curæ fuit, nihil præter vtilitatē legentiū, nec tamen iniucundam, ſectanti. Amandatis procul, incertis omnibus, parumue, ſeu publicæ, ſeu priuatæ feli-

citati ſeruientibus. Inductis paſſim validiſsimis auctoritatibus, plenâ fide digniſsimis, ordinatâ ſerie, ritè connexis. Eâ breuitate, quæ nec occupatis remorã, nec otioſis tædiũ, nec tenuioribus impenſã paritura ſit. Sic C. Plinium Secundum reliquiſſe comẽtarios Electorum, *nepos eius, C. Plinius Cæcilius memorat. Concinnauit & Valer. Max. ſua memorabilia, ex* Col lectis

lectis *aliorum. Quin ipſe D. Octauius, Cæſar Auguſtus, in euoluẽdis vtriuſq; linguæ auctoribus, nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta, & exempla publicè vel priuatim ſalubria, eaq;* Ad uerbum *excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum prouinciarũq; rectores, aut ad vrbis magiſtratus plerũque mittebat, prout quiſque monitione indigerent. Vti Iuliꝰ pater ex immensâ diffu-*

 sâque

ſâque legum copiâ, optima quæque & neceſſaria in paucisſimos conferre libros (referente Tranquillo) deſtinauerat. Hos æmulari iuuabat, ad Numinis gloriam, necnon candidi Lectoris vſum, frugemque.

VSVS PRIMAE SECTIONIS PHYSICAE.

PErſpicitur ex hac Sectione, Architectũ Mundi cognoſcendum, ex ſtupẽdis operibus ipſius. Sigillatim, ex Mundi Stabilitate, Cæleſtis motus Conſtantiâ, Pulchritudine Telluris, Ornatu Maris, Opportunitate Inſulæ S. Helenæ. Vniuerſi ſpecie præſtantiſſimâ, Fabricâ corporis humani, Miro artificio Organorum quinq; ſenſuum, Cordis & Arteriarum pulſatione continuâ, Diſpẽſatione caſuum humanorum, Punitione

Baiazetis, Imperatoris Turcici, Curatione planè diuinâ. Vtrâq; fortunâ Imperatricis Eudociæ, Reginæ Rhodopidis fortunâ conſimili, Elephantorum deniq; ſagacitate mirandâ. Tùm de nonnullis animalibus deteguntur vulgi cum doctis errata, & adumbratur diuina excellentia penicillo Aegyptio, ſuffragante Galeno.

VSVS. II. SECT. MED.

E*x hâc percipi licet, omnis valetudinis principia cõtineri ipsâ procreatione, quantumq; peccare ſoleant genitores. Nequaquã terrendas grauidas. Lactandam prolem, ab ipſis matrib. Venena, malignig; morbi, quomodo cauendi, profligandi. Alicuius Monocerotis veri cornu extare, verum Antidotum. Vſu aceti Scyllitici, ſe præſeruaſſe Imperatores veteres. Quî ſenes vitam prorogare*

poſ-

poſsint. Somnum meridianum nō obeſſe. Electum Apoplexiæ remedium eſſe, affixas continuò, collo, vel vertici, cucurbitulas. Phrenitidis, Oxyrrhodinū, potum Seri. Epilepſiæ, Ambram, medicamentum ex Scyllâ, Rutam, ſed inhumanum eſſe ad hunc morbum, hauſtum ſanguinis humani. Pleuritidis, Venæ ſectionem, eiuſdem lateris, vel in minorennibus, flores item Papaueris rubri, aquā benedicti Cardui. Vermis cardiaci, Allium. Ventriculi refrigerati, Vinum, iniecto pipere. Icteri, Marrubium. Hydropis, as vſtum. Iſchuriæ, Halicacabum. Arthritidis, Abſtinentiam, & in dolore, Fœnugræcum. Luis Indicæ, potum ligni, more acidularum. Lepræ, Cucumeres. Vulnerum, Vnguentum Hiſpanicum, pulverem oculorum Cancri. Vlcerum, aquam Calcis, Plumbi puluerem.

VSVS TERTIAE SECTIONIS POLITICAE.

PRoponuntur in hac Sectione, virtutes Principe digniſsimæ. Rei militaris neceſsitas in Rep. Conditiones Militis. Strabonis eximia de legib. ſententia. Scita lex de venæ ſectoribus. Solidiſſimæ duæ Cenſuræ, de Chryſopœiâ deque Spagiricâ. Aſſeritur demum, monſtratis interitus Rerump cauſis, ſublimis, in Politiâ, Medicorum dignitas.

AVCTO-

AVCTORES EX QVIBVS HAEC SELECTA.

AElianus.
Altomarus.
Ariſtoteles.
Buſbequius.
Chriſtophorus à Coſtâ.
Cicero.
Crato.
Delrius.
Fabritius ab Aqua pendente.
Fabritius Hildanus.
Fernelius.
Fontanus.
Foreſtus.
Frãciſcus Alexãder.
Galenus.
Gellius.
Gemma.
Guarinonius.
Hebenſtreitius
Heurnius.
Hieron. Oſorius.
Iamblichus.
Iouius.
Iuſtinianus.
Iuſtinus.

Iuſtus Lipſius.
Lauaterus.
Ludouicus Granatenſis.
Maſſaria.
Michael Sauonarola.
Mizaldus.
Raſis.
Riolanus.
Schenckius.
Sebaſtianus Meyerus.
Strabo.
Suetonius.
Thomas Morus.
Valleriola.
Villanouanus.
VVirſungus.
Zoſimus.

IOAN. GVIL. GOTHARDVS, SOLODORENS.

ME, Meyere, tuum ſatis haut laudare libellum,
Et, non, admiror, poſſe ſtupere ſatis.
Inſtruis, oblectas, curas, minimoq; libello
Hæc facis, an breuius quis queat, aut melius?

SECTI-

Sectio prima PHYSICORVM.

CAPVT. I.

Phyſicæ ſpeculationis rerum naturalium, neceſſitas & vtilitas.

NOſſe primū oportet (*Galen. 3. de vſ. part.*) ex rebus conditis, deinde exponere quoque aliis, quæ nam ſit ipſius Conditoris ſapientia, quæ virtus, quæ prouidentia, quæ bonitas, quorum ignoratio,

ratio, ſumma cenſeri debet impietas. Quòd enim, (*aurea Medicinæ principis ſententia*) cultu conuenienti, cuncta ille exornârit, nullique bona inuiderit, id perfectiſſimæ bonitatis ſpecimen cenſendum: Inueniſſe autem, quo pacto omnia adornarentur, ſummæ ſapientiæ: At effeciſſe omnia, quæ voluit, virtutis inuictæ. Ideoque hominũ ratio (*Cicer. 2. de nat. Deor.*) in cælum vſque penetrauit. Soli enim ex animantibus nos aſtrorum ortus, obitus, curſusque cognouimus. Ab hominum genere finitus eſt dies, menſis, annus: defectiones, Solis & Lunæ, cognitæ, prædictæque in omne poſterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint. Quæ contuens animus, accipit ab his cognitionem

Dei,

Dei, ex qua oritur pietas, cui cõiuncta iuſtitia eſt, reliquæq́; virtutes. Ex quibus vita beata exiſtit, cognitio enim Dei, perfecta felicitas (*Iamblich. in Protrept.*) *ἡ γνῶσις τοῦ θεοῦ εὐδαιμονία τέλεια* Ope philoſophiæ, dum naturæ ſecreta ſcrutantur Vtopiani (*Thomas Morus in Vtopiâ ſuâ*) videntur ſibi non ſolúm admirabilem inde voluptatem percipere, ſed apud Autorem quoque eius, atque Opificem, ſummam inire gratiam. Quẽ cæterorum more artificum, arbitrantur, mundi huius viſendã machinam homini (quem ſolum tantæ rei capacem fecit) expoſuiſſe ſpectandam: eòque chariorem habere, curioſum ac ſollicitũ inſpectorem, operiſque ſui admiratorem, quàm eum, qui velut animal expers

mentis

mentis, tantum, ac tàm mirabile ſpectaculum, ſtupidus immotusq; neglexerit. Scitè enim Chryſippus, (*Citer. 2. de Nat.*) vt clypei causâ inuolucrum, vaginam autem gladij, ſic præter mundum, cætera omnia aliorum causâ eſſe generata, vt eas fruges, atque fructus, quos terra gignit, animantium causâ, animantes autem hominum, vt equum uehendi causâ, arandi bouem, venandi & cuſtodiendi canem: Ipſum autem hominem ortum eſſe ad mundum contemplandum. Age ergo, conuertamus oculos, hoc loco, ad mundana, non mundana, & ex infinitis nonnulla ſaltem, maieſtatē, prouidentiam, præſentiamque diuinam, euidenter propalantia

haud

haud ſegniter, aut per tranſennam, ſed pietate cum debitâ, contueamur.

CAPVT. II.

Mundi ſtabilitas.

NIHIL MAIVS (*Cicer. loc. cit.*) quàm quòd ita ſtabilis eſt mundus, atque ita cohæret ad permanēdum, vt nihil ne excogitari quidem poſſit aptius: omnes enim partes eius vndique medium locum capeſſentes, nituntur æqualiter. Maximè autem corpora inter ſe iuncta permanent, cum quodam quaſi vinculo circundata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione

tione conficiens, funditur, & ad medium rapit & conuertit extrema. Et mare, cum ſupra terram ſit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur vndique æqualiter, neque redundat vnquam, neque effunditur.

CAPVT. III.

Cæleſtis motus conſtantia.

QVis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cæli motus, tàm ratos aſtrorum ordines, tamq; omnia inter ſe connexa, & apta viderit, neget in his vllã ineſſe rationẽ, eaq; caſu fieri dicat, quæ quanto cõſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? an, cum machi-

natione quadam moueri aliquid videmus, vt ſphæram, vt horas, vt alia permulta: nō dubitamus, quin illa opera ſint rationis: cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri uertique videamus, conſtantiſſimè conficientem viciſſitudines anniuerſarias, cum ſummâ ſalute & conſeruatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam, diuinâque ratione? Quòd ſi in Scythiam, aut in Britanniam (*Cicero*) Sphæram aliquis tulerit, cuius ſingulæ conuerſiones idem efficiunt in ſole, & in lunâ, & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo, ſingulis diebus & noctibus: quis in illâ barbarie dubitet, quin ea Sphæra ſit perfecta

perfecta ratione? Et Archimedem
rbitraris plus valuiſſe in imitandis
phæræ conuerſionibus, quam na-
uram in efficiendis? præſertim
um multis partibus ſint illa per-
ecta, quàm hæc ſimulata, ſolertius.
Philoſophi debuerunt, ſi forte eos
rimus aſpectus mundi conturba-
erat, poſtea cum vidiſſent motus
ius finitos, & æquabiles, omnia-
ue ratis ordinibus moderata, im-
nutabilique conſtantiâ, intellige-
e ineſſe aliquem non ſolum habita-
orem in hac cæleſti ac diuinâ do-
no, ſed etiam rectorem & mode-
atorem, & tanquam architectum
anti operis, tantiq; muneris. Chry-
ippus quidem, quamquã eſt acer-
imo ingenio, tamen ea dicit, vt
b ipsâ naturâ didiciſſe, non vt ipſe
reperiſ-

reperiſſe videatur. Si enim inquit, eſt aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit: eſt certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cæleſtes, omnesq; eæ, quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine confici non poſſunt, eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem, quid potius dixerim, quam Deum?

CAPVT IV.

Telluris pulchritudo.

OCulis quodam modo contẽplemur pulchritudinem rerum earum, quas diuina prouidentia dicimus conſtitutas. Terra vniuerſa cernatur locata in media mundi ſede,

de,

de, ſolida & globoſa, & vndique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus. Quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontiũ gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concauas altitudines, ſaxorum aſperitates impendentium, montium altitudines, immenſitateſque camporum: adde etiam reconditas auri argentiq; venas, infinitamq; vim marmoris. Quæ verô, & quàm varia genera beſtiarum, vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapſus, atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ vita ſylueſtrium? Quid iam de hominum genere dicam? qui quaſi

cultores terræ conſtituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari, quorumque operibus agri, inſulæ, litoraq; collucent, diſtincta tectis, & vrbibus. Quæ ſi, vt animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram, de diuinâ ratione dubitaret.

CAPVT. V.

Maris pulchritudo.

AT vero quanta maris eſt pulchritudo? quæ multitudo & varietas inſularum? quæ amænitates orarum & litorum? quot genera, quãque diſparia, partim ſubmerſarum, partim fluitantium beluarum, partim ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium?

um? ipſum autem mare, ſic terram appetens, litoribus cludit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. *Cicero.*

Creatoris omnipotentia atque prouidentia, in tanta rerum multitudine, quæ per omnia maria quaſi diſſeminatæ ſunt, facile apparet. Quæ omnia, vt. D. teſtatur Ambroſius, ſunt tanquam huius tanti, tamque formoſi corporis gemmæ, quibus ornatur, Deique omnipotentia & prouidentia declaratur. Prouidentia, dum hæc omnia parat, tanquam nauigantium diuerſoria, & hoſpitia, vbi reficiantur, conquieſcant, vbi tum à tempeſtatibus, tum à latronum impetu ſe recipiant. In eo quoque Dei omnipotentia maxime elucet, quod in

tam maximis ſinibus, & aquarum abyſsibus, tam paruæ conſeruantur inſulæ, licet tantis fluentis opprimantur, vt non ſolum eas, vt velle videntur, non demergant, ſed ne paruam quidem partem ab illis remoueant. Hocautem illud eſt, quod idem Deus, cum S. Iob ſermonem habens, extollit, cum inquit: Quis concluſit oſtijs mare, quando irrumpebat quaſi de vuluâ procedens? Circumdedi illud terminis meis, & poſui ei vectem & oſtia, & dixi, vſque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Eſt quidem maximè mirum, quòd, cũ tanta vj omnia elementa ſua loca petant naturalia, ſitque aquæ naturalis locus terram operire, vt ſuper

eam

eam conquieſcat, ſolo verbo Deus tot millibus annorum, vbi ea ſegregauit, iam ita eam conſeruauit, vt ne minimam quidem terræ partem ſibi vſurpauerit, ſed ſuis ſe finibus, à Deo datis, ſemper cõtinuerit. Quo ille vſus eſt argumento, ad accuſandam hominis contumaciam, & renitentiam, ſi cum creaturis inanimatis conferatur. Et ita per Hieremiam ait: Me ergo non timebitis, & à facie meâ non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.

CAPVT. VI.

Inſula. S. Helenæ.

IN Oceani medio, vbi fundum non reperitur, ad inſulam quandam paruam aditur ab ijs, qui de Luſitania ad Indias Orientales nauigant, 1500. paſſuum, & S. vocatur Helena. Hæc penitus deſerta eſt, & à nullis colitur. Eſt tamen tùm dulci aqua, tum piſcibus, venationibus, fructibus, ſine vlla vel cultura, vel alia hominum arte, ita copioſa & referta, vt videatur quoddam commune nauigantibus eſſe refugium à Deo omnium Creatore conſtitutum. Hinc enim, tum aquam, tum piſces, & animalia in venatione capta ſuſcipiunt, & præterea nullã

aliam commoditatem hominibus affert. Qui illam ibi collocauit, hoc fruſtra facere non debuit. Et quod nobis maiori admirationi eſt, qua ratione illa terræ portiuncula in illo profundiſſimo loco de mari emergat, & emineat, neque tot ante ſeculis iam à tanta maris vj abſorpta, & penitus ad nihilum redacta ſit. Præterea cum hæc ſit, ſi ad oceanum conferatur, paruum nucis putamen, immobilis tamen in tantis maris procellis ita permanet, vt nulla illius pars vllum detrimentum patiatur. Quis autem hanc Dei omnipotentiā & prouidentiam, quæ, quidquid vult, firmat, ac tuetur, nō venerabitur? Hoc igitur frænum eſt, quod huic magno maris corpori impoſuit, ne terram operi-

at, & cum ſuo impetu ad terram fertur, ne finibus egrediatur, timet. Ob id, cum ibi legem ſibi impoſitā cernat ſcriptam, tanquā acer equus & indomitus, etiamſi nolit, fræni tamen vi, quieſcit, ac reuertitur. *Ludouic Granat.*

CAPVT. VII.

Vniuerſi ſpecies præſtantiſsima.

Præclarè Ariſtoteles. Si eſſent, inquit, qui ſub terra ſemper habitauiſſent, bonis & illuſtribus domicilijs, quæ eſſent ornata ſignis, atquè picturis, inſtructaquè rebus ijs omnibus, quibus abundant ij, qui beati putantur, nec tamen exſſent vnquam ſupra terram, accepiſſent autem

autem famâ & auditione, eſſe quoddam numen,& vim Deorũ; deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus, euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atquè exire potuiſſent, cum repente terram, & maria, cælumqué vidiſſent, nubium magnitudinem, ventorumquè vim cognouiſſent, aſpexiſſentquè ſolem, eiuſquè tum magnitudinem, pulchritudinemq; tum etiam efficientiam cognouiſſent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffuſa, cum autem terras nox opacaſſet, tum cælum totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum, lunæque luminum varietatẽ, tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos

 immuta

immutabileſque curſus: hæc cum viderent, profectò & eſſe deum, & hæc tanta opera dei eſſe arbitrarentur.

CAPVT. VIII.

Stupenda corporis humani fabrica.

CVm, quod in omnibus rectè fit, omnes ad artem referant (*Galen. de placit.*) quod autem in vno, aut duobus, non ad artem, ſed ad fortunam: meritò, ex noſtri ſtructura corporis, licet admirari ſummam artem, æquitatem, & vim naturæ, quæ nos conſtruxit.

Conſtat corpus noſtrum ex oſſibus, pluribus, quàm ducentis. Ad ſingula verò oſſa peruenit nutriens

vena

vena, ſicuti ad muſculos, cum hac, etiam arteria & nerui, pariaque ad amuſsim ſunt, & ſimilia omninò, in dextra animantis parte ſita, ijs, quæ in altera ſunt, vt os oſsi, muſculus muſculo, vena venæ, arteria arteriæ, ac neruus neruo. Duplices itaque corporis partes, omnino inter ſe ſunt ſimiles, & magnitudine & conformatione, ſicuti & conſiſtentia, quam voco, iuxta mollitiẽ duritiemque differentiam. Quemadmodum igitur de humanis affectibus iudicium facimus, ex naui, ſumma arte conſtructa, cognoſcẽtes peritiam artificis, ita etiam de diuinis facere conuenit, corporiſq́; noſtri opificem admirari, quicunque tandem is Deorum exiſtat, etiamſi eum non videamus.

CAPVT. IX.

Mirum artificium organorum quinque ſenſuũ.

Senſus, interpretes ac nuntij rerum (*Cic. de Nat. Deor.*) in capite, tanquam in arce, mirificè, ad vſus neceſſarios, & facti, & collocati ſunt. Nam oculi, tanquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes, fungantur ſuo munere. Et aures, cum ſonum recipere debeant, qui natura in ſublime fertur, rectè in altis corporum partibus collocatæ ſunt. Itemq; nares, eò quod omnis odor ad ſuperiora fertur, rectè ſurſum ſunt, & quòd cibi & potionis iudicium magnum earum eſt, non ſine cauſa, vicinita-

tem

tem oris ſecutæ ſunt. Iam guſtatus, qui ſentire eorum, quibus veſcimur, genera debet, habitat in ea parte oris, quâ eſculentis, & potulentis iter natura patefecit. Tactus autem, toto corpore, æquabiliter fuſus eſt, vt omnes ictus, omneſque nimios & frigoris & caloris appulſus ſentire poſſimus. Atque, vt in ædificijs, architecti auertunt ab oculis & naribus dominorum, ea, quæ profluentia neceſſariò tetri eſſent aliquid habitura: ſic natura, res ſimiles procul amandauit à ſenſibus. Quis verô opifex, præter naturam, tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? Quæ primum oculos membranis tenuiſſimis veſtiuit & ſepſit: quas primùm perlucidas fecit, vt per eas cerni poſſet. firmas

autem, vt continerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, vt & declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum, quò vellent, facilè cõuerterent: acieſque ipſa, quâ cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parua eſt, vt ea quæ nocere poſſint, facilè vitet. Palpebræque, quæ ſunt tegumenta oculorũ, molliſſimæ tactu, ne læderent aciem, aptiſſimè factæ, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idque prouidit, vt identidem fieri poſſet, cum maxima celeritate. Munitæq; ſunt palpebræ, tanquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, ſi quid incideret, repelleretur, & ſomno conniuentibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, tanquã inuoluti quieſcerent. Latent præterea

terea vtiliter, & excelſis vndique partibus ſepiuntur. Primùm enim ſuperiora, ſupercilijs obducta, ſudorem à capite, & fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiore parte tutantur ſubiectæ, leuiterque eminentes. Naſus ita locatus eſt, vt quaſi murus oculis interiectus videatur. Auditus autem ſemper patet: eius enim ſenſu etiã dormientes egemus. A quo cum ſonus eſt acceptus, etiam è ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet, ne quid intrare poſsit, ſi ſimplex & directum pateret. Prouiſum etiam, vt ſi qua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium, tanquam in viſco, inhæreſceret. Extra autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causâ factæ, tutan-

dique ſenſus, & ne adiectæ voces laberentur, atque errarent, priuſquã ſenſus ab his pulſus eſſet. Sed duros & quaſi corneolos habent introitus, multiſque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur ſonus. Quocirca & in fidibus teſtudine reſonatur, aut cornu, & ex tortuoſis locis, & inclusis referũtur ampliores. Similiter nares, quæ ſemper propter neceſſarias vtilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, poſsit peruadere: humoremque ſemper habent, ad puluerem, multaque alia repellenda, non inutilem. Guſtatus præclarè ſeptus eſt.

Ore enim continetur, & ad vſũ aptè, & ad incolumitatis cuſtodiam.

CAP.

CAPVT X.

Cordis & arteriarũm pulſatio, ingens miraculum.

CORdis & arteriarum indeſinens pulſatio(*Riolan.2.de Abdit. c. 8.*) vnum eſt ex naturæ miraculis. Cor enim, quamuis graue, nobis etiam dormientibus, præter naturam attollitur, ſine vlla laſsitudine. Ex eoque ſuboritur admiratio major, quod ſimul pulſent arteriæ. Sentiendi, & progrediendi cauſam qui ſtudiosè perquiret, non habebit admirandi minorem occaſionem. Quis enim non ſuſpiciat, quòd eodem extanti videre poſsimus, audire, guſtare, odorari, & tractabi-

les qualitates diſcernere, influente à cerebro, per neruos molles, ſentiendi facultate, vectore ſpiritu, eoq́; ipſo momento, nos progredi, brahia, pedes, brachiorumque & pedũ digitos, quò lubet, inflectere, hæc ad dextram, illa ad læuam, confluente per ſpinam, & motorios neruos, vi motrice? Poteſt ne iſtorum omnium contemplator mecum non exlcamare: ô Architectum admirabilem: ô, Opificem inimitabilem. Quid ſi pergat ad principes facultates, memorandi, dico, imaginandi, atque diſcurrendi? Obſtupeſcet ſanè tantarum rerum lumine, ueluti attonitus. At quia non tantùm in opificio, verùm etiam lucet &

Ludit

Ludit in humanis diuina potẽtia rebus.

Id genus luſus vnus aut alter, ſpectatu digniſsimus videbatur.

CAPVT XI.

BAIASETIS TVRCARVM IMPERATORIS ingratitudo ergaDeum, clariſſimè animaduerſa diuinitus.

BAiaſetes primus, quem Gilderun Chan, à fulmine, Turcæ dicunt, magnus, animo, & rebus, Imperator fuit. Atque is variè, & per decem amplius annos victor, magno illo prælio cum Temire Chano, quem Temir Lancũ, à claudicatione

one, item vocant, conflixit. Vtrinque ingentes copiæ, robora virorũ, & militiæ vſus à Turcis; Fatum aliunde ſtetit. Nã & auxiliares copiæ Tartarorum in ipsâ pugnâ deſeruerunt Baiaſetem, tranſitione ad hoſtem facta: idem milites è regione, Germiani & Menteſij. Solus ſe non deſeruit, cum immoto Prætoriano agmine, Baiaſetes & murus illic belli. Sed vis ac multitudo perrupit, ipſe captus, filius eius Muſtaphas cæſus, & quidem fælicius. Nam pater ad victorem Temirem perductus, honeſtè primùm exceptus eſt: cum & obuiam pedes extra tentorium iuiſſet illi, in equo aduentanti. Cum deſcendiſſet; vterque pro more gentis, humi in tapete, conſedit. Atque ibi Temir (operæ pretium

viſum,

viſum, fide Annalium Turcicorũ verba dare) O Chan, inquit, magnas vterque Deo gratias debemus: ego, quod claudus ille, ab ipſis Indiæ finibus ad mænia Siuaſtæ imperium extenderim; tu, quòd à Siuaſtâ ad ipſos Pannoniæ fines. Orbem terræ inter nos partiti pænè ſumus. Debemus igitur gratias, atque ego reddidi, & reddam: tu verò parùm fortaſſe memori, gratâque mente fuiſti, & ideo hæc calamitas interuenit. Sed age, mi Chan, ſi ego, in tua ſic ſim poteſtate, quid ageres? Dic liberè, & veraciter. Ibi aiunt Baiaſetẽ, qui feroci & elato animo erat, ſubieciſſe: Equidem te, ſi numen victoriam adnuiſſet, in ferream caueam incluſum, circumduxiſſem, ſpectaculo & oſtentui cunctis. Temir, eo

audito

audito, ſententiâ hac in ipſum eſt vſus, & ſic incluſit. Miſer triennium ferè ita vixit: & cum deſperatâ liberatione, audiſſet in Tartaros ſe abducendum, caput validis iteratisq; ictibus caueæ ferreæ illiſit, & indignantem animam ſic emiſit. Multi & pulchri ludi in hoc mundi theatro: ſed tragædiam belliorem raro, aut nec legimus luſt Lipſ. polit.

EGO VERO PERCVLSVS hoc exemplo, ingratiſsimus quoq; erga D. O. M. futurus mihi videor, ſi innumeris, quinetiam nobiliſsimis, mihique notis, ſæuiſsimis enteroceles cruciatibus, è vita ſublatis, ego eodem affectu, decimo demum octauo anno, ſolo Dei nutu, nullis equidem remedijs, liberatus, id beneficium, apertè diuinum,

maximè-

maximeque memorabile, in acceptis, omnium bonorum fonti, hoc loco non ferrem, publicoque præconio deprædicarem, mox inde Iuſtino, elegantiore ſtylo, ludum alium, perfeſtiuum quoq;, relaturus.

CAPVT XII.

Diuina planè, Enteroceles octodecennalis curatio.

Anno ſuperioris ſeculi octogeſimo quarto, Monachij, amæniſſimâ (ſenſu Geographorum) Germaniæ vrbe, Sereniſſimorum Ducum Bauariæ, patriæ meæ, Metropoli, in ampliſſima Aula Ducalis Gymnaſij, primoribus annis, contentiore voce declamanti mihi, Peritonæum luculenta plaga dirumpebatur. Adhibebā

hibebã emplaſtrũ vſitatum ad rupturam, variaq; conſolidantia. Imó nullum non moturus lapidem, nullum non veſtigaturus remedium, totum me ad medicinæ ſtudium, annuentibus quoq; meis, conferebã. Sed mox Theoriam Praxis excepit, & alia officia, neq; quies curando neceſſaria concedebatur, vt toto ſpatio ipſorum octodecim annorũ, à dicto iam octogeſimo quarto, ad huius uſq; ſeculi ſecundum, graues perferendæ moleſtiæ, necnon dolores tolerandi, quà herniæ, quà perizomatum, fuerint. Grauiſſimus ſupremus mali dies extitit. Nam dũ Enſishemij, Alſatiæ vrbe, ſtipendijs Cæſarianis, Illuſtri Curiæ Auſtriacæ facerem medicinam, celebri quoq; vicino Xenodochio D. Antonij, Eiſenhe-

ſenhemenſi, Adminiſtratori, Rmo, Domino Suffraganeo, Franciſco Bero, ſummo viro, ſalario annuo obligatus eram, indeq; Gebvveylerium, Principis Murbacenſis (qui opera quoq; vtebatur mea) ſedem, verno tempore proficiſcenti, immani cum dolore, vniuerſa interiora proruptura videbantur. Ridēte licet cælo, & formoſiſſimo anno, nunquam tamen ante, totos octodecim annos, dolor tumorque ſic gliſcebant, hac certe vnicâ de causâ, vt poſtea manifeſtè perſpicerem, inſperatam ſalutem tum, in acie nouaculæ, paratā fuiſſe diuinitus, quā nulli remedio phyſico poſſē tribuere. Reuectus enim domum, inſeſſu quodam anodyno, dolorem ſaltem paulùm leniui, moxq; petito lecto, ſummo

ſummo experrectus mane, & reſtituta concinnè ſuo loco inteſtina, & Peritonæum, locumq; affectum, ita firmatum, atq; corroboratū, mirabili metamorphoſi, perſentio, ac ſi nullo vnquam tempore eo loci laboraſſem. Cumq; nullo vnquam ante die, cingulo, ſeu ligatura carere auſus fuiſſem, iam abdicare illud, proculq; remouere, & abſque eo incedere minime dubitaui, nec in hūc uſque diem eo mihi vſus fuit, annoſque iam quindecim, nec quidquam illius affectus (æternæ laudes gratieque vindici) vel minimum ſubſentio. Certè tam inueteratus affectus, tempore præſertim, quo maximum incrementum ſumpſerat, naturæ beneficio, tamquè breui, depelli non potuit: *Non hæc humanis*

manis opibus, non arte magiſtrâ proueniunt: Maior agit deus. Liberatorem igitur meum, D. O. M. tàm inuſitati beneficij collatorem, agnoſcã, taliq; gratiæ ſymbolo confirmatus, laudabo quandiu fuero.

Hunc ego dum viuam, dum ſpiritus hos reget artus,
Vſq; colam, tantum ille meas, facilisque bonuſque
Accipiat voces, nẽpe illo oblector in vno.
At vero impietas plane extirpetur ab imâ
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet, ac nos
Te rerum, Deus alme, patrem, dominumque canamus.

CAPVT XIII.

Diuinum, in vtrâq; fortunâ Imperatricis Eudociæ.

ERat Leontij cuiuſdam Athenienſis philoſophi filia, Athenais nomine, multo ingenij corporiſque lepore, aut venere. Pater occulto aliquo defortuna eius præſagio, omnes opes moriturus duobus filijs reliquerat, huic ſolos centum aureos, cum elogio: ſuffecturam ei fortunam ſuam. Igitur cum fratribus litigat, vt iniuriâ affecta. Sed infirmior ſexus aliam etiam accipit, & pulſa ab ijs Conſtantinopolim venit, vt viam futuræ magnitudini aperiret. Inſinuat ſe, & cõmendat cauſam Pulcheriæ Impe-

ratoris ſorori. Cui ſtatim ita placuit, vt percontata, ecquid virgo eſſet? in aulam acceperit, ſed baptiſmo, rudem ad id Chriſtianæ religionis, prius ablutam. Nomen eius in Eudociam mutat: ac ſic denique amat, vt fratri Theodoſio, aput quem omnia poterat, coniugem deſponderet. Hem; aſcenſus. Sed ecce & deiectio. Nam diu felix eo coniugio, amata & amans, in ſuſpicionem probri incidit, & contubernio excidit, hac cauſa. Imperator inſigne & prægrande pomum dono acceperat: quod porrò vxori ſuæ blandiens tranſmiſit. Accepit illa, & idem mox Paullino facundo & erudito viro, ideoque eruditæ fæminæ caro, nihil ſequius cogitans, dedit. Quod ille, ignorans vnde eſſet iterũ

Imperatori, vt regium aliquod munus, offert. Mirari ille, & primùm ambigere, mox agnoſcere, & ſuſpicari. Atque ita properè ad vxorem veniens, callidè pomum ab ea repetit, antea donatum. Hæc totius facti ignara, temerè & iuueniliter aſſerit, ſe ediſſe: iterumque rogata dicit, atque adeò iurat. Imperator ſeriò tum offenſus, & mendacij arguens, pomum profert: nec ſatis, de amore occulto & improbo ſuſpicatus, Paullinum occidit, illam abdicat & relegat. O vterque amans, veſtri miſereor. Et ſi hæc quidem caſum fortiter tulit, & iuit Hieroſolyma, & piè caſtèque viuens ibi moritur, ſed præmortuo marito. *I. Lipſ. in Polit.*

CAP

CAPVT XIV.

Rhodopidis conſimilis fortuna.

RHodopin fæminam (*Aelian. lib. 13. c. 33.*) omnium Aegyptiorum ferunt pulcherrimam fuiſſe cui aliquando lauanti, inopinatorum atque inexpectatorum amans fottuna, contulit munus, non iſto animo, ſed fortunâ venuſtateque dignum. Quum enim lauaret, atq; veſtimenta famulæ cuſtodirent, aquila deuolans alterum calceum abſtulit, eumque ſecum deportauit Memphim, iudicium exercente Pſãmeticho rege, & in eius ſinũ calceum iniecit. Pſammetichus miratus pulchritudinem calcei, & fabricationis artem atque concinnitatẽ,

& auis factum, mandauit, vt per vniuerſam Aegyptum quæreretur fæmina, cuius is calceus eſſet, eamque inuentam in matrimonium accepit.

CAPVT XV.

Aurea Pythagoræ ſententia, de prouidentia Dei erga homines.

SI pius & prudens fueris, cognoſces inimortaliũ deorum, mortaliumque hominum concordiam, quâ ſingula tranſeant, quaque regãtur. Confide, quandoquidem diuinũ eſt mortalib. genus. θάρσει, θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν.

CAP.

CAPVT XVI.

TRanſeamus ad animalia, & primum terreſtria. Maximum eſt Elephas, proximumquę humanis ſenſibus: quippe intellectus illi ſermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicêre, memoria, amoris & gloriæ voluptas: imò vero (quæ etiam in homine rara) prudentia, probitas, æquitas, religio quoque ſiderum, ſoliſque ac lunæ veneratio.

CAPVT XVII.

Prudentia Elephantorum.

MInisterium præſtant Elephanti non modo in conuehendis oneribus & bellicis tormentis è loco

in locum commutandis, ſed etiam in muniis aliis domeſticis. Promuſcide verò (qua veluti manu vtũtur) onera craſſo firmoq; fune colligare ſolent: funem verò ore apprehendentes, eum ſannis, ſeu dentibus, quos exertos habent, quoties opus eſt, circumuoluunt, deinde onera ſublimia in aere ferunt, aut trahunt, ſi nimium grauia ſint, tanta dexteritate & attentione, (præſertim ſi iis contineantur res fragiles, & quæ effundi poſſint) vt huiuſmodi res requirunt: nec eum ſemel iter confecerunt, viæ demonſtratore amplius opus habent, tantâ ſunt memoria præditi.

Vulgaris opinio eſt in prouincia Indiæ Malabar, elephantos mutuò ſe intelligere. Locutũ aliquando in vr-

in vrbe Cochin (quæ illius prouinciæ nobilis ciuitas eſt) publico teſtimonio conſtat, hoc modo.

Elephas quidam in littore maris vrbi vicino laborare ſolitus, iãque laboribus feſſus, domum redire properabat, vt quieſceret. Præfectus verò illius vrbis orabat illum, vt in labore pergeret, atque liburnicam, quam iam commouere inceperat, in mare traduceret. Renuentẽ elephantum Præfectus denuò compellare, blãdiſque verbis demulcere coepit, id in ſuã gratiam faceret, ita enim decere, quandoquidem in ſeruitiũ eſſet Chriſtianiſsimi Regis Luſitaniæ: Elephantus hæc duo verba proferens, hoo, hoo, (quæ lingua Malabarica vulgari, & vſitata, in ea

prouincia, è qua Elephas oriundus erat, ſignificant, volo, volo,) ad liburnicam redijt, eamque in mare impulit.

Idem, cum ipſius rector hora cõſtituta cibũ illi nõ præberet, de mora conqueſtus eſt: rector vero id accidiſſe aiebat, quòd lebes, in quo cibum illi coquere ſolebat, pertuſus eſſet, proinde eum ad Cacabarium deferret reſarciendum. fert eũ elephas: cacabarius negligentius reparat. rector elephantum obiurgat, eumque contumelioſis verbis afficit, atque ad cacabarium cum lebete remittit, vt diligentius reſarciat. is verò de induſtria lebetem reparare ſimulans, rimam auget, & elephanto reddit: qui lebetem promuſcide ſumens

adflu-

ad flumen defert, & aquâ implet, quamdum effluere conſpicit, magis pertuſum eſſe lebetem intelligit, & ante cacabarij ædes refert magno barritu intonans: concurrunt Regiorum negotiorum Præfectus, & alij multi: cacabarius blandis verbis veniam ab elephanto petens lebetẽ probè reparat, eique reſtituit: ille verò minimè ei fidens, in omnium conſpectu ad flumen redit, aquamque haurit, quam dum videt non effluere, lebetem oſtendens aſtantibus, quaſi eos rei geſtæ teſtes cuperet, ad rectorem ſuũ refert.

CAPVT. XVIII.

Elephanti gloriæ auidi.

GLoriæ auidi ſunt elephanti, cuius causâ interdum mira facinora præſtare conſpiciuntur. Nonne in littore vrbi Goa vicino, quidam crepuit medius, dũ ſolus magnum æneũ tormentũ bellicũ ſubleuare cupit? quoniam ipſius rector grauibus verbis obiurgaſſet, & contumeliâ affeciſſet, oſtendens illi duos iuniores elephantes aduentantes, illius ænei tormenti tollendi gratiâ?

CAP.

CAPVT IXX.

Vindictæ cupidi.

MIles in vrbe Cochin Elephanto ſuum rectorem iniuriâ affeciſſe viſus eſt, quod ei in via minimè cedere voluiſſet. Eam iniuriā vlciſci cupientem rector vetuit. Poſt aliquot dies miniſteria quædam in littore Magnate fluminis (quod vrbē Cochin alluit) abſente ſuo rectore obiens, militem cum alijs quibuſdam ſermones conferentem conſpicit, promuſcide eum corripit, nec eorum qui ipſum rogabant, vt militem dimitteret, voces moratus, aliquoties flumine merſit, ſubinde eum in altum ſubleuans, & aquam, qua madebat defluere ſinens: deinde, cum iniuriam ſuo rectori illatā

probè vltus ſibi viſus eſſet, militẽ, quo comprehenderat loco, denuò in pedes ſiſtit.

CAPVT XX.

Elephanti beneficiorum memores.

NAtura gratus eſt beneficiorumque memor, nec cuiquam nocet, niſi iniuria affectus, aut dum certo morbo corripitur, quo veluti in furias agitur, quod ſingulis annis fieri ſolet: tum enim nemini parcunt elephanti, ſed obuium quenque proterunt. Goæ, vrbe Indica, per forum vagabatur huiusmodi furijs correptus elephas. Vir quidam æger effugere cupiens pronus cadit; elephas minimè ei nocens

cens promuſcide comprehendit, & in ſcamno quodam deponit. Aiebat hic vir, eodem loco, illi ipſi elephanto, antequam in morbum incideret, magnum quendam fructum, Iaca incolis appellatum, ſua manu præbuiſſe.

CAPVT XXI.

Morbi ſiue furoris Elephantorum indicium & remedium.

ANtequam huiuſmodi ægritudine, & amoris furore corripiantur elephanti, eos ſui rectores in agros deducere, atque iſtic validis firmiſque catenis ferreis conſtringere ſolent, Furoris enim indicium agnoſcunt ex quadam oleoſa materia,

ria, quæ ex illorum aurib. effluit. Medicantur autem huic ægritudini ipſorum rectores, grauiter illos obiurgando, & rationibus demonſtrãdo (probè etenim audiunt, & intelligunt) vilis & degeneris eſſe animi, ob amorem ita in furias agi: deinde certa quædam medicamenta illic vſitata adhibent. Maxima eorum caſtigatio eſt, grauibus verbis illos obiurgare, tametſi interdum anteriores pedes ſubleuare eos iubeant, plantaſque hamulis feriant, dicentes ſeſe eos, vti pueros, caſtigare ob ſtultitiam. *Chriſtoph. à Coſta, libro Aromatum.*

CAP.

CAPVT XXII.

Quænam falſa, de quibuſdã animalibus, vulgò ferantur, ac primũ de elephantis.

DE elephantis fabula pro hiſtoria, auctore Plinio (qui quæcunque audiuit, narrat, quantumuis falſa, & abſurda videantur) doctorum ſcriptis celebratur, vt præda ſe redimant, eos impactos arbori dentes frangere, ac ſi, vt Caſtor ob teſtes, ita propter dentes ſe, à venatorib. perquiri cognoſcant.

CAP.

CAPVT XXIII.

De Caſtore.

EIuſdem eſt farinæ, quod omnium voce & ſcriptis circunfertur, Caſtorem ſibi ipſi teſtes amputare, (Caſtoreum vocant Medici) vt venatorum rapaces manus effugiat: quaſi ſciat ſe non aliam ob cauſam peti. Quod non tantùm falſum, ſed etiam impoſſibile affirmat Sextus Medicus apud Plinium. Rondeletius ex diſſectione comperit, illis tàm tenaciter teſtes hærere renibus, vt nulla vi euelli poſſint, quinimò non poſſe, etiamſi velint.

CAP.

CAPVT XXIV.

De ſtrutiocamelo.

QVid vulgatius, quàm à Strutiocamelo ferrum coqui? Docti plurimum laborant in cauſis perquirendis, Sunt tamen naturæ ſcrutatores curioſi, qui affirmant, ſe multoties illi dediſſe limaturam ferri, quam integram deiecit. Si ventriculus ſcobem conficere non poſſit, & veluti iã præmanſum ferrum: multò minus integra fruſta coquet & aſſimilabit.

CAPVT XXV.

De Chamæleonte

QVid ineptius, quam Chamæleontem ſolo vento viuere? Plinius tamen omnes in iſtum errorẽ induxit,

induxit. Equidem, cum amplos habeat pulmones, ſæpe & multum ſpirat, ſed exerta lingua formicas, muſcas, locuſtas, & ſcarabæos inuiſcat, quibus perbellè nutritur.

CAPVT XXVI.

De Vrsâ.

IN ore eſt omnium, Vrſam informes fætus in lucem edere, quos deinde paulatim lambendo efformet. Tamen à venatorib. capta eſt vrſa grauida, quâ diſſectâ, viſi ſunt iam formati catuli. Quidam affirmant chorio incluſum fætum excludi, propterea videri carnem informem, ſed lambendo paulatim rumpi.

CAP.

CAPVT XXVII.

De Viperâ.

QVid magis tritum & vulgare, quàm viperam ſic dici, quod vi pariat? Eroſo enim ventre matris ſibi viam facere vulgo perſuaſum eſt: cuius credulitatis autor fuit Nicander in Theriacis. Experientiâ tamē compertum eſt, viperā ſine vi, & eroſione ventris parere, quin etiā, ſi Ariſtoteli, & Philoſtrato creditur, viſa eſt non ſemel, quæ ſuos lamberet. Non eſt credibilis tanta crudelitas, quæ ſit naturalis & ordinaria.

Riolan. in Abdit.

CAPVT XXIIX.

Aegyptii de Deo quid ſenſerint?

EXtremæ primæ phyſicæ Sectioni competere videntur hieroglyphica Aegyptiaca (de quib. Pierius.) Hi pingebant Deum cum veſte cæruleâ, cum zonâ in manu vnâ, cum ſceptro, in alterâ, cum pennâ in capite. Per veſtem cæruleam, cuius coloris cælum eſſe videtur, ſignificabant Deum cæli eſſe habitatorem, eiuſdemque naturam à noſtra vt cælum à terrâ diſtare. Sceptro ſignificabant ſummam potentiam & regiam dignitatem: Zonâ, vel cingulo, admirabilem eius prouidentiam, qua cælum colligat, & cuncta

cuncta continet, ac regit. Penna in capite ſignificabat Dei celſitatem, ſenſuum & intelligentiæ noſtræ capacitatē ſuperantem. In ore eius pingebant ouum, ab eo productū, vt ſignificarent mundum oualem figuram habentem, fuiſſe ore eius creatum.

CAPVT XXIX.

Galenus de Deo.

OMnibus hoc nobis ineſt, vt amplectamur bona, ambiamus, amemus: malum abominemur, atque procul arceamus. Scorpios enim, phalangia, viperasquè necamus, cum tamen à natura, non ſua ſponte, talia creata ſint. Primum etiam maximumq; Deum, non genitū Plato aſſerens, bonum tamen

illū

illum eſſe pronuntiat, noſquè illum talem ab æternitate, natura duce, colimus, & amamus.

Libro Quod animæ mores.

FINIS

SECTIONIS PRIMÆ.

SECTIO SECVNDA MEDICINALIVM.

CAPVT. I.

Omnis valetudinis principium, ipſâ procreatione contineri.

PArentes ſæpe, cùm liberis operam dant, præ crapula, vbi terrarum ſint, neſciunt. Quo fit, vt genituræ principium ſtatim eo modo ſit vitioſum. Quod & mulie-

ris vtero geſtantis peccata ſequuntur. Cuius generis eſt, in corpore mediocriter exercendo deſidia, cibi immoderatè ſumpti, iræ, ebrietates, balneæ, venereorũ vſus intempeſtiuus, quæ nemo facile numerarit. Cum tamen neque frumenta, neq; hordea, neque vites, neque oliuas ita ſeminent, ac conſerant agricolæ. Sed primùm quidem, cuiuſmodi terræ ſua committant ſemina, multum diuque prouident: pòſt autem, magnam curam adhibent, ne multo vuido demerſa putreſcant, neue ſqualore exareſcant, aut frigore extabeſcant. Hominum verô nullus eam in ſerendo adhibuit diligentiã, neque in eo, quod iam conceptum eſt, educando. Sed quemadmodũ, in omni vita, homines omnibus ſeipſos

ſeipſos ducunt poſteriores, alij quidem inſatiabilibus voluptatibus atque abdomini ſeruientes, alij diuitias, aut dominationem, aut magiſtratus ambientes, ad eundem modum & ipſam primam generationem poſthabuerunt. *Gal. 11. de vſ. c. 10.*

Addicit Galeno Plutarchus aureo libello, de educat. liber. his verbis. Vinoſi & ebrioſi fieri ſolent, quorum initium ſationis patres in ebrietate fecerunt. Qua de cauſa & Diogenes puerum non ſanæ mentis conſpicatus & deſipientem, adoleſcens ait, pater te, ebrius proſeminauit.

CAPVT. II.

Parcendum grauidis.

LVgdunenſi mulieri, cum partus non procul abeſſet, hoſtili vultu, & ſupra modum terribili, maritus imminens, cum præ iracundia ſtrinxiſſet gladium, velut in cranium impacturus, hoc effecit, vt, quã-quam fugâ ſalutem mulier reperiſſet, infanti tamen eadem caluariæ parte, cui acies minitabatur, magnum continuitatis diuortium appareret, ſtatim ab enixu, ſic effluente ſanguine, vt nullo conatu, vel arte reprimi poſſet, atque infans protinus expiraret. Quo ſane exemplo nihil vnquam miſerabilius viſum eſt, cum iam grandior fœtus vix vllam impreſſionem à ſpiritu tàm poten-

potentem potuiſſe recipere putare-rur. *Gemma Coſmocrit.* Appoſitè Democritus, apud Plutarchum, fœtum ſuis aquis innatantem naui cõparabat, quem vmbilicus, velut anchora nauem ſiſtit. *Anchora fũdabat naues.*

CAPVT III.

Lactandos infantes, ab ipſis matribus, elegantes demonſtrationes.

SApienter prouidentia geminas indidit mulieribus mammas, vt & gemellos, ſi quando parerent, geminos ita haberent alimenti fontes. Adhæc autem cum beneuolen-

tiores

tiores liberis fient, tum propenſiores. Et, per Deum, non iniuriâ, conuictus enim veluti vinculum eſt beneuolentiæ. Namque et beſtiæ à cõpaſcentibus abductæ, has deſiderare conſpiciuntur. *Plutarch. de Educat.*

Si ouium lacte, hædi, aut caprarum, agni alerentur: conſtat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam & frugibus maior plerunque vis & poteſtas eſt, ad earum indolẽ, vel detractandam, vel augendam, aquarum atque terrarũ, quæ alunt, quàm ipſius, quod iacitur, ſeminis. Ac ſæpe videas, arborem lætam & nitentem, in locum alium tranſpoſitam, deterioris terræ ſucco deperiiſſe. Sepenumerò miramur, quoſ-

dam

dam pudicarũ mulierũ liberos, parentum ſuorum neque corporibus, neque animis ſimiles exiſtere. Scitè peritèque noſter Maro, alituram feram, & ſæuam criminatus eſt:

Hircanaq́; admôrunt vbera tigres.

QVoniam videlicet in moribus inoleſcendis, magnam ferè partem ingenium altricis, & natura lactis tenet: quæ iam à principio imbuta paterni ſeminis concretione, ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. *Phauorinus philoſophus apud Gellium.*

CAPVT. III.

De venenis, & malignis morbis, præcauendis, expugnandis.

SI medici conſilium fuerit, præcauere malignum aliquem morbũ, vt peſtem, ad προφάσεις primùm reſpiciat, vt de aeris intemperie corrigenda ſit ſollicitus, vſu quotidiano pilularum Ruffi, quæ peſtilentiales vulgó dicuntur, corpus purum reddat, cardiacis tam ſumptis, quàm admotis cor muniat. Si princeps ſibi metuit à veneno, habeat miniſtros fideles, qui eſculenta & potulenta prægustent, habeat ſuſpecta odorata, quia Venefici, ſuauitate odoris ſolent celare venenum. Suſpecta

ſpecta ſint etiam quæ ſapore valdè ſunt ingrata, quia venena eiusmodi ſunt, paucis exceptis, vt ſublimi, aconito, & fungis, quorum eſu Claudius Imperator ab Agrippina ſublatus eſt; quemadmodum Tyberius à Domitiano fratre, vſu leporis marini. Vtatur ſæpe Theriacâ & Mithridatio, ſic enim Mithridates vitam ſuam à venenis & veneficis aſſeruit, quibus abundat Pontus. Quod ſi iam factum morbum velis expugnare, præſcribasq; non prophylactica, ſed therapeutica remedia, conſidera, ſi liceat per morbũ generalia præmittere, alioquin à proprio alexipharmaco curationẽ exordire. Si aſſumptum ſit venenũ, vide ſi vomitu, ſudore, per aluum, an per vrinas citius poſſit excludi.

Malitia mox epoto lacte temperetur, vomitus verò oleo communi, amygdalarum dulcium excitetur, nam & hæc acrimoniam veneni obtundunt, vt iuſcula pinguia. Quod ſi torſiones ventris iam deſcendiſſe venenum indicent, quando laborantem inuiſis, da operam, vt acri clyſtere foras attrahatur. Theriaca & Mithridatium ſunt communia alexiteria, non tantum curandis, ſed etiam præcauendis morbis malignis conuenientiſſima. Verùm ad præcautionem quotidiè ſumi debent parua doſi, vt ſcrupuli pondere: ad curationem verò, quantitate duarum drachmarum plus minus dari debent, vt poſſit eſſe vis maior antidoti, quam aſſumpti veneni. Diluantur aquis cardiacis, vt cardui bene-

benedicti, ſcabioſæ, bugloſſæ, borraginis, tormentillæ, vel earum decocto. Addere poſſis Syrupi de limonibus, vel de parte acida citri vnciam vnam. Vtiliter etiam præſcribuntur, bolus armena, quia aſtrictione ſua viã præcludit veneno ad cor, raſura vnicornis, Bezoar, & quę in officinis proſtant electuaria cardiaca, vt Diamargaritum, & Diambra, quibus permiſtis cum cõſeruis cardiacis, fiunt opiata, condita. conferunt etiam epithemata ad regionem cordis ex cardiaco decocto aut deſtillatis aquis, in quibus aliquod dictorum electuariorum diluatur. aut applicetur cordi emplaſtrum ex conſeruis bugloſſi & ſcabioſæ, addendo Theriacam aut Mithridatium, Hodie vix vllum vene-

num veneficis eſt familiarius quàm ſublime, quia fere eſt inſipidum, nec colore ingratum, certòquè perimit, quia cauſticum. Tamen criſtallus albus, eius alexiterium perhibetur, vt aconiti, ſuccus aut puluis, rutæ ſylueſtris, fungorum, ſtercus gallinæ, ſumptum cũ oxymelite. Fortaſſis vt mures ſublime depaſti, ſpecie alimenti euadunt, ſi mox frigidam affatim bibant, ita eiusdem largo hauſtu ardor poterit extingui, multa enim remedia ex animalibus maiores noſtri didicerunt. Quid ſi venenũm ſit admotum, nõ aſſumptũ, vt ſi ἰοβολὸν ζῶον venenatum animal, ictu, vt Scorpius & Phalangium: aut morſu, vt ſerpens & canis rabioſus, in cute venenum reliquerint? Dabis operam, quam citò fieri poterit, vt retra-

retrahatur. Conducatur villicus qui illud ſugat, alioquin admoto deplumi podice galli, idem tentetur, occludatur illi roſtrum, vt trahat potentius. In locum demortui nouus ſubinde ſubſtituatur, aut cucurbitula, vel corniculo idem tentetur. Metaſyncritica ad eum finem commodè vſurpantur, vt emplaſtrum vulgare ex cæpa cocta ſub cineribus calidis, adiecto pauco mithridatio, terantur cum oleo liliorum, addendo fermentum, Item ſcarificatus profundus, cum ſanguine virus educit, Actuali cauterio nihil eſt præſentius, igne enim domatur veneni genus omne, quo in principio vtendum eſt priusquam virus peruaſerit ad interiora. Ignem ſi reformidet æger, ſubſtituatur potentiale. Gale-

ni conſilio pars lethaliter icta, quã cito fieri poteſt, amputetur. Ita enim viaitor morſus à vipera mox abſciſſo digito mortis periculum effugit.

Ad impedienda m putredinē, & ſuperandum, ſi quod ſit, venenum in ictibus ſclopetorū, initiò ſoleo vti præcipitato. Vulnus à ſerpente, aut rabido cane inflictum, aqua forti vtiliter attingo. Interim, aut arcto vinculo viæ occludantur, aut ſupra partem læſam commune Chirurgorum defenſiuum apponatur. Dentur communia alexiteria, ſi propria ignorentur, neq; enim facile eſt veneni ſpeciem citò diſtinguere, neque etiamſi cognoſcatur, protinus illius proprium alexipharmacum ſuccurrit. Qui volet plura cognoſcere, legat librum tertium

Fra-

Fracaſtorij de morbis contagioſis. Aut potius Gal. de antidotis, & methodi medendi lib. decimo tertio, vbi addit vacuãtibus, manifeſta aut occulta qualitate alterãtia. Cæterũ interfectũ veneno, docet ſexto de locis affectis, his ſignis internoſcere. Si ſobrius & ſanus repente obierit, nauſea aut vomitu præcedente, deliquio, cardiogmo, torſionibus ventris: Si cutis liuida, nigra, vel maculis rubris conſperſa appareat. Hactenus Riolanus, cuius quoque cenſura de cornu Monocerotis, viſa cedro digniſſima.

CAP.

CAPVT IV.

An cornu Monocerotis inſit vis alexiteria.

QVæſtio eſt ardua & magnis difficultatibus inuoluta, ſiue autoritate, ſiue experientia diſputetur. Si autoritate certetur, non tantum magni nominis autores afferẽtur in medium, ſed medicorum fere omnium conſenſus, qui vbique gentium & locorum, quotidie, illius raſuram præſcribunt in morbis malignis, ad robur cordis. Si quis in morbillis aut variolis oblitus ſit tria aut quatuor grana exhibere cum aqua cardui, vt venenum per ſudores excludatur; videbitur præcipua remedia ignoraſſe. Probabile eſt, quod

quod videtur omnibus, aut pluri-
mis, maximè verò quod ſapienti-
bus; peritis enim in quaque arte cre-
dendum eſt. Veritas eſt filia tempo-
ris, vtilia remedia tēpus approbat,
inutilia reprobat, quãuis apud popu-
lũ in magno pretio habeantur. Hinc
certa ſpes me tenet futurũ tandē, vt
exulet Paracelſi medicina, cũ primũ
amiſerit gratiam nouitatis. Verum
ſi tam facile paream conſuetudini,
reddam mihi infenſos magni no-
minis medicos, qui hoc remedium
tanquam vanum & inutile ſcripto
publico repudiarunt: neque pluris
faciunt iſtius cornu ſcobem, quàm
aſtragali, aut cuiuſuis alterius oſſis
puluerem. Ratione igitur & expe-
rimentis certandum eſt, non auto-
ritate.

Verum

Verùm diſcutienda imprimis rei & nominis ambiguitas. Monoceros enim eſt genus animalis, quod ambitu ſuo ſpecies longè differentes complectitur. Aelianus biſontem deſcribit vnico armatum cornu, quod non exiſtimat magis cardiacum, quam noſtri bouis cornu. Strabo refert ex Megaſthene, in India eſſe equos, Plinius etiã addit aſinos vnicornes.

Idem Plinius autor eſt, non tantùm in India, ſed etiam in Affrica eſſe boues vnicornes, & tricornes. Atqui numerus eſt inefficax, rebus nullam tribuit vim: Itaque cornu vnitas, animali nihil addit perfectionis, quemadmodum neque trinitas, non eſt maioris efficaciæ bos vnicornis aut tricornis, quam noſter

ter bicornis. Veruntamen autores bonæ notæ ſcripto mandarunt, Caphur eſſe Amphibion vnicornu, ex quo regibus parantur pretioſa vaſa aduerſus venena: Quin etiam ex iſto animali, veluti re pretioſiſſima reges eius inſulæ, in qua capitur, nomen & honoris titulum mutuari. Experientiâ longâ populus didicit, ex iſto cornu detornata vaſa prodere, ſi quod lateat, veneuum. Plinius nominis quadam prærogatiuâ Monocerotem deſcribit, ferã, capite ſimilem ceruo, pedibus elephanti, caudâ apro, reliquo corpore equo: mugitu graui, vno cornu nigro, media fronte, magnitudine duorum cubitorum: quale cornu fortaſſis in theſauro Santdionyſiaco aſſeruatur. Habet etiam vnũ

reſpublica Veneta in ſummo pretio. Ex ſimili audio, etiam nunc parari ſalinum Imperatoribus, quod quotidianæ menſæ apponitur, vt detegat, ſi quod offeratur, venenũ. Proinde non tantùm in opinione eſt vulgi, ſed etiam optimatum, nõ omnis quidem, ſed cuiuſdam monocerotis cornu eſſe ſingulare alexipharmacum: cuius vires hoc argumento demonſtrat Iordanus, vir imprimis eruditus, libro quẽ ſcripſit de peſte. Iudæus, inquit, me præſente, cornu monocerotis deſcribebat circulum quo infinita animalia venenata, ſcorpiones, ſerpẽtes, araneos includebat: omnia veluti attonita permanebant in medio, neque vllum verſus circularem lineam progredi audebat. Extra circulum

culum poſita quoquouerſum liberè mouebantur. Subiungit; ſolâ vmbrâ iſtius cornu, omnia intra horæ quadrantem vitam cum morte commutaſſe. Hoc ſi quis admiretur, meminerit totam fere medicinam eſſe empiricam, vti remedijs experientia potius quam ratione, comprobatis. Omnia enim aut ſunt purgantia, aut alterantia. Purgantia humorem peccantem trahunt cum dilectu, vi occulta. Alterantia: aut manifeſta qualitate nos immutant, aut occulta. Horum alia cum parte affecta ſubſtantiæ ſimilitudine cõmunicant; p̄pter quã hæc Cephalica dicũtur, illa Hepatica. Alia cum morbo occultas inimicitias gerunt, vnde epileptica dicũtur, nephritica, arthritica, pleuritica. Mit-

to, vt

to, vt venenorũ, ſic Alexipharmacorũ innumerabiliũ occultas ꝓprietates. Si cornu cerui ſolo fumo fugat ſerpẽtes: Si os reptũ in corde cerui venenis, & vẽenatis morbis reſiſtit: Si limatura cranij proſit epilepticis, quid ni pares atq; etiã præſtãtiores vires, monocerotis cornu tribuemus? Si amuleta quædam Phyſica, etiam geſtata (vt Pæonia appenſa collo aduerſus epilepſiam) certis morbis depellendis vi & proprietate inexplicabili conueniant, quid ni aſſũpta raſura vnicornis aduerſus venena corroborabit? Poteſne vnum probare, alterum improbare? Quo iure lapis Bezoar cardiacus erit, cornu monocerotis non erit? Scio in eius vſu infinitos errores committi. Cumque vix vnum verum in

Europã

Europam quotannis afferatur, tamen à medicis, ſaltem viginti præſcribi. Sed abuſus morum, doctrinæ veritatem non euertit, manet nihilominus vera hæc propoſitio. Alicuius monocerotis cornu eſſe antidotum: falſum à vero diſcernēdum eſt, Iudæi experimento.

CAPVT V.

Prophylacticum Imperatorium.

SAlubre, optimum acetum, Scillinum, à Pythagora ſcribitur, quo omnes Imperatores vſi ſunt. Ab ipſius authore fertur, quicunque hoc vtatur, longæ vitæ fore, & eius extrema integra, vſque ad finem permanſura. Et ipſe quidem, Sami-

mius ſenex huiuſmodi extitit: quantum enim temporis vixerit, haud ignoras. De ipſo in libro traditum eſt, quod cum ſuis conſanguineis hanc facultatem communicauit. Cumque hoc medicamento vti incepit, quinquageſimũ annum natus erat, & vſque ad centeſimum decimum ſeptimum, vitam produxit integer, nulla vnquam aduerſa valetudine tentatus. Hæc ſanè medicamenti autor diſſeruit, quòd fortaſſe vir philoſophus erat, mentiri neſcius. Nos verò huius viri fidei periculum fecimus, ac firmã conſtantemque huius medicamenti facultatem eſſe teſtamur. Oportet igitur ſumere Scillam montanã libræ vnius ponderis, & dura circumcidere, & mollia minutatim conci-

concidere,& aceti acerrimi ſextarios octo in vitreum vas mittere, atque obturare, ac per triginta dies in Caniculæ caloribus, vt maceretur, permittere: Deinde Scillam extractam exprimere. Id genus aceti parum mane ſorbeto. Tibi autem hæc euenient. Vt ne faucium oriſq; partes vnquam remolleſcant, os vẽtriculi benè valebit, facile ſpiritum duces, vox rectè habebit, oculi acutiſſimè cernent, aures in officio manebunt, nulluſque flatuoſus vapor in ventre vnquam excitabitur, nullum viſcus ſuſpenſum erit, & benè ſpirans, bene coloratus deges. Ad ciuilia negotia rectè affectus, non acidum, non ſalſum ructabis, ſi aliquid aceti huius aſſumſeris. Etieiunus vt aſſumas præcipio, ſeptemq;

poſtea ſtadios deambules, ita enim diſſoluetur. Hoc aceto qui vtitur, in uictu quātūuis licentioſus eſto. Omnia enim cibaria conficiet, & à nullo vnquam offenſam patietur. Neque valde implebitur, ſed in melius proficere videbitur. Nihil ſupervacui in corpore reſidebit, non flatus, non bilis, non ſtercus, non vrina, ſed omnia facilè excernit atque educit. Aluus lubrica omninò eſt, totiuſque corporis purgatorium medicamentum, etiamſi in oſſibus ſordes inhæreant. Item Phthiſicos, ab omnibus deploratos, hoc medicamento, ſanitati reſtitutos nouimus. Morbo comitiali diuturno efficaciter profuit, vt, niſi poſt longa temporis interualla, non redierit, Incipientem verô, ac nouum perfectè

prſectè diſcutit, neque reuerti amplius hunc affectum permittit. Ad podagras præterea, & articulorum morbos, iecoris, lieniſque duritias, uhementer facit. Et particulares quidē aceti Scillini affectus hi ſunt: communes autem quam plurimi. Quibus nos commoti, ſingulare hoc medicamentum, ſanitatis integritatiſque causâ, tibi tradidimns *Gallen. l. de fac. parab.*

CAPVT VI

Senilis valetudinis conſeruatio.

VIno ſenibus maximè vtendum. Id enim & ſiccitatem eam, quæ ſolidis partibus, proprio ætatis tempearmento prouenit, ſi quid aliud

emendat, & robur vireſque addit, &, vt Plato ait, ad vegetum quendam florem hilaritatemque eos deducit. Dei namque munere, hominibus vinum, quaſi remedium, aduerſus Senectutis duritiem, eſt largitum, vt reiuueneſcere Senes videantur & mæſtitiæ eos obliuio capiat, ipſaque affectio animi, ſicut ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat, vt idem Plato cenſet. Nec ſolum vinum ſenibus remedio eſt, ſed multo magis id, quod ex melle conſtat, quod mulſum appellamus, id enim ſenibus accommodatiſſimũ perhibetur. Multos namque ſenectam longam mulſi tantum nutricatu tolerauiſſe, neque vllo alio cibo, locupletiſſimus teſtis Plinius eſt, vel celebri

lebri Pollionis Romuli exemplo, quem centeſimum annum excedentem, cum diuus Auguſtus hoſpes interrogaret, quanam ratione maximè vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet, ille reſpondit: intus mulſo, foris oleo. Nec mirum profectò his duobus, ceu antidotis quibuſdam, ſenum foueri naturam. Mel namque & calfaciendi, & detergendi, maximam poteſtatem habet: Oleum verò molliendi, atque humectandi, quibus ſanè omnibus ſenes indigent. Obid Antiochus Medicus, & Telephus Grammaticus, annoſi ſenes, Attico melle, ex pane, alicâue excepto, plurimum vtebantur, quos *Galenus lib. 5. de Sanit.* ceu exempla ſenum, quibus eſſet optimâ victus ratione illæſa Se-

necta, proponit. Melle itaque ſenibus plurimo vtendum conſulo, ſi modo ſuæ ipſorũ valetudinis rationem habere velint, illæſamque Senectam in multum æui producere. *Valleriol. l. 3. loc comm.* Senium frigidum ſiccumque corrigitur per ea, quæ calfaciunt & humectant. Talia ſunt, balneum dulcis & calidæ aquæ, & vini potio, prætereà ex cibis, quicunque humectare, & calfacere naturâ poſſunt. *Gal. 5. de Sanit. c. 3.*

CAPVT VII.

Præceptum: Somnũ fuge meridianum, ab Hippolyto Guarinonio, in lib. de Abominat: planè *conuictũ.*

NOn pauci, negatâ hac Cerebro laſſato, & infirmo, quiete, alij Capitis grauedinem, contumacem vertiginem alij, quidam diminutionem memoriæ, atque etiam rationis, alij alios morbos perpetuos contraxerunt, omnes hoc lepido Acroamate circumuenti. Poſſem, nullo negotio, nonnullos, tam eccleſiaſtici, quàm politici ſtatus, nominatim producere. Sed cautio eſt, ne mox à prandio, ſed dimidia, aut etiam tota hora poſt, ſomnus capiatur, à quadrante vno ad tres, dum primi vapores à cibo elati, cerebro graues, diſſipentur. Hæc ex verſione mea. Plura hui⁹ argumēti apud autorē pſpicaciſſimi ingenij (qui vti nā reliquis pmiſſis operib⁹ ſtaret) in Teutonico, legi poſsūt. προφυλαξιν

excipiant nunc præcipuorum morborum remedia lectiſſima, vulgo vocata principalia.

CAPVT IIX.

Apoplexia.

RAſis inquit *lib.3. Aphoriſ.* Apoplexia accidit Regi Hamech, filio Hali, & in principio curam convenientem non habuit, ſed dimiſerunt eum ſicut erat, & nullus ex eius magiſtris ei aliud præcepit fieri, niſi inungi corpus odoriferis, & ſuffumigari. Quod ſufficiens ei non credidi, ſed feci ventoſam collo eius apponi, & velociter ab illâ ægritudine exiuit, & eſt res, in qua confidentia eſſe debet. *Ex Schenckio.*

Ferunt Hieronymum Fracaſtorium, dum langueret, cognito fatali mor-

li morbo, poſt multas amicas ſibi herbas, in olfactum, balbutiente linguâ, efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis vſu, manu ſæpius in verticem exporrectâ, ijs, qui aderant, innuere voluiſſe, vt celeriter cucurbitulâ affecto & laboranti cerebro, quo ille peropportuno remedio ſe Deo dicatam Veronæ virginem curaſſe, adhuc meminerat, ſubuenirent. Sed re nequaquam intellecta, cũ alij alia adhibẽda tùm eſſe remedia prædicarent, fruſtra expectato remedio, leniter ſub noctem expiraſſe. *Schenck. ex vitâ Fracaſtorij*.

CAPVT IX.

Phrenitis.

CAput roſaceo cũ modico aceto irrigetur, æſtate quidem te-

pido, hyeme verò moderatè calido, quod in cunctis alijs medicamentis ſeruandum erit topicis, & ſi ambiens frigidior fuerit, commodum eſt, & chamæmelinum, ex æquo ipſi admiſtum. Velut ipſe Illuſtrem Indicum Picolomineum, Ducis Amalfiæ filium, hoc medicamento, à Phrenitide, cum à cunctis medicis eſſet deſtitutus, liberaui, factâ ex eo irrigatione, ſupra coronalem commiſſuram, capillis prius tonſis. *Altomarus cap. 6. de medend. human. corp. malis.*

Nec illepidum olim, lectitandis ipſius obſeruationibus, apud Petrũ Foreſtum reperi. Alcmariæ, inquit, Theodorus Petri Amoſtelrodamo domum rediens, vbi per tres continuas noctes, apud conciliatores

in contractibus, quum ſympoſia libera forent, diuerſis, craſſis & fortibus ceruiſijs, & vino ſeſe impleuiſſet, atque ſine ſomno degiſſet, phrenitide cum perpetuo delirio correptus eſt; ac febre continua, quæ huius ſoboles eſſe ſolet. Ad hunc menſe Martio, anno 1547. cum decumberet, in nocte accitus fui: quē cū blandè admodū allocut⁹ eſſē, magno periculo ferè ac meo dānò, ex lecto exſiliens in me quodāmodo irruiſſet, niſi eundem hominem robuſtiſſimum, & iam furore exagitatum, viri fortes, qui tunc præſentes erant, in lecto vi detinuiſſent. Huic autem (vti hoc malum exigit) cum ſanguinem libenter detraxiſſem, admittere noluit, quare epithema ſeu frontale ex aqua end.

plantag. roſ. ol. roſ. aceto roſ. fronti admoueri iuſſimus, cum panno lineo inculcato & expreſſo: at æger in mille partes ilico diſcerpebat. Manè redeuntes ægerrimè ad ſectionem venæ, mulierculis ineptis diſſuadentibus, me atque Chirurgo præſente ſuadentibus, adductus eſt; ita glande pri⁹ aluo feces reddente, paulo poſt vena cephalica ſecta fuit, ſanguine nigerrimo & calidiſſimo exeunte, faſcia ſtrictè vulneri alligata, ne eam æger aufferret, vel diſſligaret, aſtantibus, vt eius rationem haberent, diligenter præcepimus. Nocte vero ſubſequente, vt ſomnũ conciliaremus, tempora inunximus linimento ex oleo mandragoræ & papaueris cum pauco opio & croco. Potus erat aqua hordei, quãuis

uis mente captus, parum aut nihil bibebat. Ceterum poſt venæ ſectionem febris multó mitior videbatur, delirio tamen perſeuerante, cũ quodam furore & maniâ: ita vt prorſus nulla medicamenta, tam intus aſſumpta, quam extra admota admitteret. Imo ne potum quidem ſumere voluit: vnde neque illi aluus ſoluebatur; imo feces detinebantur, ita vt clyſterem iniecißemus, modo admiſiſſet. Fuco igitur opus fuit, & ſic quarto die in homine robuſto ſolutiuum ſatis forte, ac vehemens, præſcripſimus, illo inſcio: quod eo tempore etiam ſub noctem, cum ſitiret dedimus. Cum autem potionem ſumpſiſſet, præceperam, vt diligenter ab adſtantibus viriſque fortiſſimis cuſtodiretur. Per totam au-

tem noctem ſequentē in furorem quodam modo agebatur, inquietus permanebat, medicamento non operante: tandem in diluculo vi ſeſe à manibus cuſtodientium diſſoluens, caligis (quas exuere prius non potuerant adſtantes, ob delirium) tantùm veſtitus, thorace quoque indutus, abſque pallio, diſcalceat' foras erupit, & furibundus ſummū templum ingreſſus, tanquam maniacus, ſub concione, cum quadrageſima eſſet, cum multorū confuſione hinc inde diſcurrentium, magnam turbam concitauit. Eodem autem tempore cum ipſemet in cōcione eſſem, & hominis furibundi vocem clangoſam audirem, atque eundem furore percitum ſpectarē, ilico clam me ex templo ſubduxi.

Nam

Nam phrenetici, aut maniaci præſentia, medico periculoſa eſt, ſi nõ ſtrictè cuſtodiantur. Memini equidem præceptorem meum in Italia, à ponte in flumen per ægrum ſuum melancholicum furibundum, deiectum fuiſſe: & niſi famulus & alij præſentes fuiſſent, vix ex aqua euaſiſſet. Sic & noſter æger prima nocte, cum ad illum delirantem & furibundum euocatus eſſem, atque me ad ipſum accedentem, longa tunica indutum cerneret. Non fero, inquit, iſtos ſacerdotes tunicatos: atque ſimul erumpens ex lecto, me petere videbatur; & in me irruiſſet, niſi pedibus celer, atque iuuenis tunc adhuc exiſtens, ianua poſt me occluſa, ex ædibus foras euolaſſem: neque redire volui, quin ipſum ar-

ctiſſimè

arctiſſimè in lecto adſtantes robuſti continuiſſent. Venit etiam tunc mihi in mentem caſus haud diſſimilis priori, de quodam Ioanne Bekeſtenio Harlemenſi phrenetico, quē Ioannes Teyngius medicus Amſterodamenſis, eo tempore inſignis, anno 1531. in curatione, cum alijs præſtantiſſimis medicis habebat; qui ex phrenitide in furorē verſus, demum erupit, cum neglectim à miniſtris haberetur, ac ſeſe in aquā præcipitauit, & niſi adfuiſſent quidā præſentes, qui hominē phreneticum & furioſum ex aqua traxiſſent, eadem aqua ſuffocatus fuiſſet. Sic etiam in Haga Comitis Matrona quædam puerpera phrenetica cū ab obſtetrice, tum alijs minus cuſtodiretur, & ſola eſſet, è lecto ſurrexit &

t & per feneſtram ſaltans, miſerè o-
bijt. Quibus exemplis docemur, vt
phrenetici nunquam ſoli abſque di-
ligenti cuſtodia manere debeant.
Cæterum noſter æger, cum ita tem-
plum ingreſſus , quemadmodum
dicere cæperamus, tandem per fra-
trem qui illum ſequebatur, blandis
verbis illectus, à templo deductus
eſt, in ædes fraternas, quæ apud ædē
Diuæ Claræ ſitæ erant, extra vrbis
portam. Domūque ingreſſus æger,
forte fortuna vaſculum reperit ſe-
ro lactis repletum ibidem, quo ſe
ipſum ſitibundum more beſtiali a-
deo repleuit, ita vt medicamentum
ex nimia ingurgitatione ſeri lactis,
ſupra modum operari cæperit, aluo
egregie laxata vltra duodecim vi-
ces: mox ab alui illa deiectione in

lecto

lecto collocatus, in ſomnum profundiſſimum incidit, ita vt per totam noctem & diem deinde ſubſequentem dormierit. Deinde à ſomno (dictu mirum) cum euigilaſſet, ad mentem redijt fratrēque interrogare cæpit, quomodo ædes eiuſdem intraſſet, & quid ſibi contigiſſet. Frater verò, cum illi omnem rē tranſactam enarraſſet, æger confuſus eſt rubore; quamuis priſtinæ ſanitati hoc modo reſtitutus, incolumis domum remeauerit.

CAPVT X.

Epilepſia.

MVlieres ſolent præbere natis, ad præcautionē epilepſiæ, hippomanis exſiccati puluerem ad ſemidrachmam. Quod nullius eſt faculta-

cultatis ad id præſtandum, ſed cum amoris illiciti cauſa à meretricibus comparetur, quò ſcelus occultare poſſint, illud ad Epilepſiam conferre dicunt. Galenus conſilio de puero epileptico probauit, quod etiam ferè tota poſteritas teſtata eſt, medicamentum ex ſcilla cõfectum ſanare Epilepſiam. Datur ſenibus ad cochlear vnum, pueris verò non exhibebitur, niſi poſt ſeptimum annum, ad cochlear dimidium. *Iacob. Fontan. in Practica.* Comitialibus Ruta maximè prodeſt, vel Dioſcoridis teſtimonio. Quin ſuccum rutæ ceu prȩſens quoddam remedium releuandis ab acceſſione infirmis, exhibere, cum melle ſcillitico, multa & diuturna experientia mihi comprobatum eſt. Quod & in Martina

Catha-

Catharina, fæmina nobili, magna cum vtilitate fecimus, vti & in alijs multis. Ex quo enim bis ſuccũ ſumpſit, nunquam amplius acceſſione tentata fuit, vtique diſcuſſo à rutæ potẽtia caliditateq; humore. Quod & ipſũ in puerulis recens natis, & acceſſione comitiali præhẽſis ſum bona fide expertus. *Valleriola lib. Obſeruat. 7.*

Fuerunt è populo Romanõ, qui gladiatorum occiſorum ſanguinem ex ipſo vulneris hiatu biberent calidum ad huc ſpirantẽque. Contra morbum fateor: ſed juſta Plinij deteſtatione, cum plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas ſit humana. *Lipſius.*

Nihil æquè prodeſt Epilepticis, vt Ambræ griſeæ odorat⁹ frequens. *Riolan. cum Syluio.*

CAP.

CAPVT XI.

Pleuritis.

OMnes quidẽ *Medici* in hoc conſẽtiunt, in omni pleuritide, exiſtente humorum redundantia in toto, ſemper curationem exordiendã, à venæ ſectione, quamuis in dubium vocent, ex qua vena id fieri debeat. Sed Hippocrates & Galenus & tota Græcorum ſchola eiuſdem lateris venam tundunt; Quin experientia, & omnium conſenſus doctiorum, multis ſeculis, probauit, ſanguinẽ, ex vena brachij, eiuſdem lateris, eſſe detrahendum. *Iacob. Fontan.*

Sæpe lactentes infantes videm⁹, quibus ſanguis è naribus absque noxa vlla effluit: vt iure etiam in pueris validio-

validioribus, aut ſynocho putri laborantibus venam pertundere, aut ſaltem hirundinem apponere imperamus. Sic & nos in pueris nouem annorum pleuritjde laborautibus, vel vndecim annorũ, robuſtis, ſanguinem aliquando commodè detraximus. *Pet. Foreſt. de febrib. lib.* 1. *Schol. ad Obſeruat* 21.

Petrus Caprarius, puer octennis, quum Auguſto menſe in grauẽ pleuritidem incidiſſet, eſſetque carnoſo, & bene compacto corpore, ſolidis muſculis, viuido colore, grauiterque conflictaretur acutiſsima febre, dolore ſiniſtri lateris punctorio, difficili ſpiratione, prædixi parentibus, non aliam eſſe curationi compendioſiorem viam, aut etiam tutiorem, quam ſi puero ex eodem latere.

latere, quo morbus infeſtabat, mitteretur ſanguis, alioqui periclitaturũ ægrũ. Quod cũ mihi à parentibus aſſenſum eſſet, mox è brachij ſiniſtri interna vena ſanguinem detraho, ad vncias tantum quinque, ætatis ratione habita. Et iniecto poſt ad veſperam clyſtere, rogaui ecquidnã ſe leuatum puer ſentiret? (erat enim ſuprà ætatem ſcitus & ſapiens puer) quumque ſe minus grauari reſpondiſſet, liberiusque ſpirare & minus dolere; bono animo eſſe iuſſi, futurum enim, ut breui integra ſanitate frueretur, quod & Dei beneficio factum eſt. Nam cum ſecundo à morbi initio die miſſus illi fuiſſet ſanguis, tertio ſpuere copioſè cępit, quarto ſudare, item & quinto; ſeptimo verò vna cum ſudore, è nare

ſiniſtra

ſiniſtra manante ſanguine, decretoriè liberatus eſt. Quod huic puero ſalubriter eueniſſe, miſſo ſanguine, diximus, id ipſum quoq; Arduyno *M*arino, Antonii *M*arini filio, nouem annos nato; item & Iacobi Bonſoni filio decenni, ambobus pleuritide laborantibus, qui miſſo ſanguine, exigua copia, breui ſanati fuere, Dei ope adiuti. *Valleriola lib. 5. obſeru. 4.*

Sectâ venâ, in principio, & quandiu fluxio perſeuerat, remedia, quæ parantur ex florib. papaueris rubri, optima cenſentur. Aqua cardui benedicti à proprietate mirè confert In omni pleuritidis ſpecie linimenta conueniunt, quæ parantur ex butyro recenti, puluerib. ut iridis Florentiæ, croci, & oleis, verbi gratia,

amyg-

amygdalarũ dulcium, aut violato. *Fontan.*

CAPVT XII.

Vermis cardiacus.

PRinceps quidam valetudinarius, cum ex cordis cauſationib. multo tempore grauiſſime affligeretur, celeberrimis doctiſſimiſq; quibuſuis medicis conuocatis, malo ſuo pertinaci remedium petit. Qui varis iiſdemq; lectiſſimis medicamẽtis adminiſtratis fruſtra, nihil ſubſidij adferre poterant. Accidit autem vt & Medicinæ tyro quidam, qui principis medico familiarius innotuerat, eodem caſu cognito, inter alia quoque referret, comperiſſe ſeſe ſuperioris ætatis conſcriptorum conſiliorum medicinalium lectio-

ne, vermis quoddam genus cordi nonnunquam innaſci; quod nullis remedijs, præterquã vnius allij, eiuſdemque mane ſumpti, vſu cederet, atque necaretur. Verùm non tàm remedium ipſum, quia vulgare atque contemptibile, atque ob id Principi viro, cui pretioſa, & exotica potius expetebantur, quàm ob eiuſdem authorem, hominem iuuenem & inexpertum adhuc, neglectum & deſpicabile habitum eſt.

Principe itaque morbi diuturnitate, & ſæuitiâ tandem deuicto, & mortuo, patris iuſſu, morbi cauſa abdita inueſtigari p̃cipitur: diſſecto cadauere, deprehẽſus eſt vermis albus, præacuto roſtello, eoque corneo præditus, cordi adhæreſcere. Quem Medici viuum in circulum

exal-

ex allij ſucco in menſá figuratum conijciunt. Fera circumquaq; rependo mirificè ſe torquet, & ne circulum contingat, cauet. Tandem verò allij vi, & nidore victa concidens, circulo adhuc concluſa, moritur: vnde non tam morbi cauſa legitima, quam certa & indubitata remedij vis & efficacia manifeſtè innotuit, *Ioan. Hebenſtreit in libel. de peſte.* Suprà quoq; , cap. 4. ſimilẽ circulum cornu Monocerotis deſcriptum, notauimus.

CAPVT XIII.

Ventriculus refrigeratus.

CRedidit aliquando Imperator M. Aurel. Antoninus, nec minus medici ipſius alij, initium febris acceſsionis ſibi adeſſe, Aſcitus

ſum itaque &ego, (Galenus) atque in palatio cubare iuſſus. Venit autem primis facibus quidam miſſus ab Imperatore, qui nos vocauit. Igitur cũ ex tribus medicis, qui manè ipſum inuiſerant, duo pulſus tetigiſſent, ambobus, pariter viſum eſt, febrem iam aduentare. Vbi verò me quoque pulſum contrectare iuſsiſſet, equidem bona quadã fortuna tactum natura exquiſitiſsimũ nactus, penſitatis omnibus, habitaque tum ætatis, tum naturæ ipſius ratione, ac ſemotum pulſum ſentiens, qui acceſsionum principia ſignificare ſolet, me nil tale ſuſpicari dixi: ſed potius ab aſſumpto cibo ſtomachum angorem quẽdam ſentire. Ille verò quanti agnitionem hanc faceret, ſignificauit, ter ſtatim

repetens

repetens, ita eſt vt dicis: Profectò id ipſum: Vt dixiſti, res habet. Nam à frigidiori alimēto grauari me ſentio. Quid igitur (ſubiunxit) oportet me facere? Cui ſic reſpondi: Si quando in quemuis alium ita affectum incido, vinum, iniecto pipere, propinare conſueui. Quia verò medici in regibus, ſecuriſsimis medicamētis vtuntur, ſatis erit, lanam calido nardino imbutam, ori ventris apponere. Conſueuerat & ipſe ſi quando & venter malè haberet, ex purpurea lana vnguentum nardinum calidum applicare. Quare Pitholao, vt hoc faceret, imperauit, noſque dimitteret. Dum autē vnguentum ventri applicuiſſet, pedeſque incaluiſſent, calidis manibus perfricati, Sabinum vinum cū

pipere bibit: dixitque Pitholao eo epoto, ſingularem ſanè medicum nacti ſumus, eumque valde ingenuum. Nec de me loqui ceſſabat, & medicum præſtantiſsimum eſſe affirmans, & ſingularem Philoſophũ. *Galen. de Præcogn. cap. 11.*

CAPVT. XIV.

Icterus.

NObilis matrona, non febricitans, & benè valens, toto corpore croceo facto 17. Septembr. die, anno 1587. conſilij cauſa me adijt, cum ſubito ictero correpta eſſet, & excrementa alba & duriora eſſent. His duobus remedijs miraculi inſtar ſtatim conualuit: purgante, ex ſyr. infuſ. roſ. pallidar, cum folijs

Senæ

Senæ, diacatholico, aqua agrimon. mox quotidie ceruiſiam bibens ex-preſſo nodulo ex marrubio exiccato, & Rhabarbaro, in ceruiſia dependente, conualuit. Ita Margaretha Teylingia, cognata noſtra, ex ſolo decocto foliorum buxi in ſero lactis, ſine alijs remedijs, ab ictero curata fuit.

Memini anno. 1559. mulierem nobilem vetulam, in Haga Comitis ex ictero laborantem, ex oppilatione cyſtis fellis, admodum diuturno, multis remedijs adhibitis, & purgationibus, & attenuantibus, & decoctis, per medicos doctiſsimos, non potuiſſe curari, ſed me cōtinuū vſū ſyrupi ex ſucco ſolo marrubij confecti cum ſaccharo, admodùm cō-mendaſſe: quo cum diu vſa eſſet, ab

omni flauedine icteri, qua per duos annos, & vltra afflictata eſſet, curata fuit; ita vt illum ſyr. pro curando ictero ſemper in ſummo honore habuerim. Sic quoque exſiccata herba in nodulo egregiè profuit. *Foreſt. in Obſeruat.*

CAPVT XV.

Hydrops.

MAteria eorũ, quæ aquoſos humores ducunt, hæc eſt. Inprimis ſquamma æris, vel æs vſtum. Quo Iacchinꝰ ſe primũ, quod ſciat, noſtra ætate vſũ refert: cũ tamẽ Baeſdorpius antea eo vſus ſit in Imperatore Carolo V. cum alij medici deſperarent; qui ſe vnum remedium habere profitebatur Carolo Imperatori, ſed eo ſe potius malle vti

in ru-

in ruſtico, quam in Imperatore. Cui Imperator reſpondit, (vt nos à fide dignis accepimus) Cogita te ruſticum præ manibus habere, modo Imperatorem ita curaueris Atque eo vtens illum ipſum ſanauit. Rhazes quoq; eo vſus eſt, vt refert Gradus. Addit Iacchinus, vtrumque optimè debere conteri, atque in catapotia conformari ex melle. Doſis à drachma vna ad drachmam vnam cum dimidiâ. Admiſce garyophillum, vel cinnamomum. *Foreſt. lib. 19. obſeruat.* 37.

CAPVT XVI.

Vrina ſuppreſſa.

FVit tempore meo, Cardinalis quidam, qui iam per quatriduum vrinæ difficultatem paſſus erat,

turgid⁹, & vt dicitur, deſperatus, nullis alijs proficientibus medicinis. Is, de conſilio medici, per potum vini Alkekengi liberatus eſt, & ſoluta eſt vrina in quantitate, vt impleretur quaſi concha vna. Ex quo ſolo experimento, medicus ille cum parua ſcientia, & pauper, factus eſt magnus, & diues. Ita multis Deus dat gratiam magnam, & affert vtilitates; & è contra. Et totum eſt, quia iudicia Dei, abyſſus multa. *Arnold. Villanouanus. libel. de Vino.*

CAPVT XVII.

Arthritis.

CVm materia Podagræ præcipuè à capite per vniuerſum corpus feratur, duo inprimis ad præſeruationem vtilia remedia ſunt obſeruan-

ſeruanda: Lotio nimirum capitis, & Sudor matutinus in lecto. Remediū diuinū, adimens articularē dolorem, Vercellenſibus, in quodam viro quinquagenario podagrico, à Marchione capto, & viginti annis in carcere detento, oſtenſum eſt, quod ſatis declarat, vnicum remedium, in hoc morbo, ex victus ratione petendum. A potu, quantum ſibi poteſt, temperet: De menſa ſurgens Arthriticus, plura appetat. *Crato in Conſilijs.*

Ita Fernelius in conſilio XIII. ad Albertum Marchionem Brandeburg. protinus, inquit, vt articularis dolor, quempiam adoritur, conſueti cibi & potus dimidiū circuncidendum eſt, victusque tenuior & purior imperandus, quo cor-

 poris

poris & humoris moles immodica concidat, vinum interdicendum, cui calore & vapore noxia vis eſt, ꝑ-ritandi fluxiones, & dolores exaſperandi, danda pro potu aqua ſaccharata, vitanda ſalſa, aromatica, & quæcumque caput tentant, vt allium, cæpa, naſturcium, ſinapi, idque maxime cum dolores immaniter fatigant, ſorbitionibus & iuſculis parciſſimè vtendum, & aſsis potius quàm elixis, vt omni ratione corpus ſicceſcat, & ſuperuacuorum humorum non exigua portio abſumatur. Valeſcus, meminit cuiuſdã medici, qui ſola trium dierum inedia, acceſsionibus arthriticis liberabatur. Os colluebat frigidâ, nihil præterea aſſumebat. Gatinariam iã ſexagenarium arthritis deprehen-dit

dit, ſola vini abſtinentia eam depulit, atque indolenter vſque ad annũ octuageſimum ſecundum vitam exegit. Interim ſtomacho conuenientem potum ſibi parabat ex decocto maſtiches, coriandri, paſſularum. *Riol.*

Singulariſsimum hac ætate præſidium, neminem fallens, nunc primum ſeſe euexit, nunc exorta atque excogitata podagricos ſanandi ratio, etiam cum ipſis articulorum calloſis contractionibus, cælitus altiſque de mentib⁹ delapſa. Quandoquidem, ne in re manifeſta longius immorer, *M*agnificus Franciſcus Pechius, nuper ex catarrho à nobis ſanitati reſtitutus, huius medelæ exemplum, huius ſalutis diuinique auxilij à cælo delapſi certitudinem

præſtabit. Hic cum mulam cõn-ſcendiſſet, illuſtriſsimi Ducis noſtri commiſſa expediens, quinquagenarius podagricus, diuturnis huiuſce morbi cruciatibus oppreſſus, clã à *M*archione quodam in ergaſtulũ coniectus, vxore, vnico libero, omnibusque alijs vita defunctum arbitrantibus: anno iam tranſacto vigeſimo, hoc eſt, à Deiparæ partu Anno. 1556. à Gallis in eam arcem irruentibus incolumis adhuc inuentus eſt, miroque Vercellenſium ſpectaculo, tanquam Lazarus è monumẽto, diuino equidem munere ſeruatus, nulla articulari læſione, enſe accinctus, nullo innixus baculo, per vrbem incedit: omnemque ex tenui victu, à carceris cuſtodibus indicto, podagræ noxam effugit; vxore, filio-
que

quemortuis, ædes, prædia, omnēque diuenditum optimum certe patrimonium, iure ipſo reuocare incepit. In cibo igitur medicamentū. *Franciſcus Alexander Vercellenſis, in Appollinis radio primo, in deſcriptione elect. diacorallij:*

CiuemLandſpergenſem Lucam Keſſlin nominatum ætate noſtra comperimus. Qui prædiues ſummo luxu, delitijs, & otio affluens podagram ſibi accerſiuerat: à qua paululum liber, ſubinde eques, animi gratia, peregrè proficiſcens: duobus ſeruis, qui herum equum aſcendentem, deſcendentemque ſubleuarent, aut euntem humeris ſuis fulcirent, ſtipatus: tandem ad extremam egeſtatem redactus eſt. Vnde vini aliorumque carentia, victuq; acciſo,

acciſo, & pro pauperis conditione frugali inſtituto: podagra, mutato hoſpitio, hominem deſeruit. Qui etiamnum quinquagenarius, merces corbe dorſuaria hinc inde altiſſimos montes ſcandendo diſcurrendoque, diuenditũque comportans: podagra, tenui iſthac fortuna, in totum profligata, victum ſibi quæritabat. *Schenckius ex VVirſungo vertit.*

CAPVT. XVIII.

Lues Indica.

Eâ ratione licet decoctum ligni dare, quâ aquæ thermarum ſolent adminiſtrari. Nimirum bibuntur eæ quotidiè copioſè ad 10. 12, & plures libras, per interualla, deambulando. Quam rationem vtendi decocto

decocto, à nemine, quem ſciam, præter Manardum, excogitatam, ego non ſolum probo, ſed etiam miror, quomodo nemo hactenus, tã præclarum illuſtris viri inſtitutum ſequatur, & ad vſum reuocet. Qui verè vobis teſtor, me non ſemel hoc modo ligni decoctum dediſſe, ſumma cum facilitate, & felicitate, quod medicamentum hoc modo ſumptum, ſicuti propè faciunt aquæ thermarum, vel per aluum, vel per lotium, vel per vtramque partem, ex corpore egrediatur, vt ſudorem etiam aliquando ſoleat euocare: Vnde ægri, quod maximè exoptandum videtur, ſine multo labore, & paucis diebus, id conſequantur, quod alij vix magna moleſtia & longo tempore ſolent conſequi. Etſi

quis veſtrum voluerit aliquando tale præſidium experiri, is facilè nobiſcum fatebitur, illud eſſe dignum maxima admiratione. *Alexander Maſſaria.*

CAPVT XIX.

Lepra.

CVidam nobili viro huic implicito, multa remedia fruſtra adhibui, ſecui venam, præparaui, purgaui, tandem elleboro albo vſus; Topica præclara admoui, theriacâ pugnaui, omnia fruſtra. Tandem vſu cucumerum euaſit. His conditis etiam vtebatur toto anno. *Ioan. Heurnius, in Aphoriſ. Hipp.* 20. *l.* 3.

CAP

CAPVT XX.

Vulnera.

NOn poſſum autem ſilentio inuoluere, medicamentū quoddam præſtantiſſimum, ad partium neruoſarum vulnera: cuius deſcriptionem ab Hiſpano quodam Sacerdote, fide digniſſimo, accepi; qui retulit, in Hiſpania non licere hoc medicamentum componere, quòd homines medicamenti viribus cōfiſi, facile digladientur, inque arenā deſcendant. Eſt autem hoc: ℞. ol. vetuſtiſſ. ℥iij, terebinthinæ puræ ℥viij, frumenti integri ℥is, hyperici ℥ij. rad. cardui benedicti, rad. Valerianæ, ana ℥j. thuris puluerisati ℥ij. Radices & herbæ craſſo modo contūduntur, in olla ponuntur, & tantū

vini

vini albi, ſuperfunditur, vt omnia in vino mergantur: & per biduum facta infuſione, oleum & frumentum adijciuntur, & coquuntur omnia ad vini conſumptionem: Mox facta forti expreſsione additur terebinthina & thus: & iterum parum ſinuntur bullire: ſeruanturque in vaſe vitreo. Sanat vulnera, vt aiunt, ſpatio XXIIII. horarum. Modus vtendi talis eſt: Abluto prius vulnere vino albo frigido, ſtatim inungitur totum vulnus oleo prædicto calente: quod ſi hoc fieri commode nequeat, per Siphonem intra vulnus, tanquam per clyſterem immittitur, & confeſtim labia vulneris ad mutuum contactum adducũtur, deligaturâ, aut ſutura, aut glutino; deinde partes circumſtantes prædi-

prædicto oleo ſimiliter inungũtur. Supra verò vulneris labia iam reducta, linteum imponitur, prædicto oleo madens; & ſupra hoc aliud, vino nigro expreſſum; mox alia lintea ſicca: deinde faſcia ſuperligatur. *Hieron. Fabrit. ab Aquapend. lib. Pentateuch. cap. 7.*

Meruit igitur hoc medicamentum vulnerarium, à tribus celeberrimis Medicis elogia, ab Hieronymo Fabritio, ab Riolano P. ab Ioanne Schenckio. Nihilominus tamen præſtantiſsimi Medici & Chirurgi, Wilhelmi Fabritij conſilium & monitũ de huiuſmodi balſamis aduertendum cenſeo ne nimis properè & intempeſtiuè adhibeãtur, & canis forſan feſtinans cæcos pariat catulos.

Qui-

Quidã Geneuenſis (inquit cent. 3. obſeru. 97.) vulnus ictu ſclopeti recepit. Huic à Chirurgo alioquin induſtrioſo, & optimè exercitato applicatum fuit balſamum, cuius beneficio cum labia vulneris coaluiſſe videbãtur, collectum denuò eſt pus in profundo vulneris, ex quo poſtea ſinuoſa, & penè incurabilia facta ſunt vlcera. Ego tandem illum maximo cum labore ſanitati reſtitui. Suadeo itaque omnibus medicinam, atque chirurgiam exercentibus iuuenibus, ne temerè quicquã cum huiuſmodi balſamis incipiant: præcipuè in neruoſarum partium vulneribus. Non enim citò, ſed tutò ægrum velle ſanare, expedit, Notabis ex Riolano, ſupra cætera commendari puluerem oculo-

oculorum cancri: omnia enim vulnera neruorum, intra tres dies, perſanare dicitur. Oleo myrrhæ in demulcēdo dolore nerui nullum præſtantius.

CAPVT XXI.
Vlcera.

MIrabilis & citò parabilis aqua, nulli auro comparanda, ad hunc fit modum. Aqua pura & limpida in vas nullo antea liquore imbutum mittitur. Vbi efferueſcit, ilico in viuam & recentem calcem, alteri vaſi nouo impoſitam effunditur, ac ibi tamdiu quieſcere permittitur, donec detracta ſpuma, clara & pellucida appareat, ſubſidente ad imum vaſis calce pultis modo diluta. Tum demum aqua ſupernatans excipi-

excipitur, per vaſis inclinationem, ſed calce immota, & phiala munda, aut alio vaſculo diligenter obturato, ad vſum reſeruatur. Vix credi poſsit quantum habeat energiæ, & miraculi in vlceribus quibuſuis, & maximè à lue Venerea obortis. Nã fotu ex linteolo in ea tepente madefacto, & vice emplaſtri poſt hæc vlceri impoſito, ac ſubinde renouato, ſaniem deterget, dolores ſedat, vlcus carne replet, ac inflãmationes pauco tempore extinguit: nõ abſq; ingenti miraculo, cum ſui caloris vehementia alioquin incendat calx viua. Fruere hoc excellentiſsimo ſecreto, quod multa prece, precioque multo, multis recuſaui. *Mizald. cent. 9. aphor. 86.*

Cũ plumbi crudi lamina tantopere

perè commendetur, non ad ſimplicia modò, verum etiam ad maligna & cancroſa vlcera, tum ſananda, tùm etiam cicatrice tegenda: cumque ad eadem omnia multo præſtãtiorem crudi plumbi tenuiſſimum puluerem ſim expertus, inſperſum malignis vlceribus, illa blande citra vllum doloris ſenſum corrigere, expurgare, & ad cicatricem perducere, eius conficiendi rationem ſubticere nolui. Plumbum in laminas quam tenuiſſimas ducitur, hæ minutiſſimè concidũtur, aceto quam acerrimo immerguntur, macerantuŕque triduo, permutato quotidie ſi videtur aceto, poſtea exemptæ & igni ſiccatæ, citra vſtionẽ in mortario laborioſè teruntur, ſictã dẽ in tenuiſſimũ leuiſſimumq; pul-

uerem rediguntur, cuius vis eſt ad ea quæ dixi, & ad multò majora ſingularis&eximia. *Fernel. lib 6. Meth cap. 16.* Calx viua cerato liquido excepta vlceribus ab vſtione ſuccurrit. Sed vnguentum de Cerusâ non habet par, inquit Hollerius.

Decoctum Caryophyllatæ inprimis benefacit internis vlceribus.

Riolan.

Secundæ Sectionis

FINIS.

SE-

SECTIO III POLITICORVM.

CAPVT I.

Titi Cæſaris Virtutes, Principe digniſſimæ.

Amor omnium erga ipſum.

TITVS cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, tantum illi ad promerendã omnium voluntatem vel ingenij, vel artis, vel fortunæ ſuperfuit, & quod

quod difficillimum eſt, in Imperio,

Dotes & Artes.

In puero ſtatim corporis animique dotes exſplenduerũt: magisq; ac magis deinceps per ætatis gradus forma egregia, & cui nõ minus authoritatis ineſſet, quã gratiæ: præcipuum robur, memoria ſingularis, docilitas ad omnes ferè tum belli tum pacis artes. Armorum & equitandi peritiſſimus, Latinæ, Græcæquè linguæ, vel in orando, vel in fingendis poëmatibus promtus & facilis, ad extemporalitatem vſq; , ſed ne muſicæ quidem rudis, vt qui cantaret & pſalleret iucundè ſciẽterq; .

Facinora bellica.

Tribunus militum & in Germaniâ, & in Britanniâ meruit ſummâ induſtria, nec minore modeſtia, &

fama

famâ: ſicut apparet ex ſtatuarum & imaginum eius multitudine, ac titulis per vtramq́; prouinciam.

Ex Quæſturæ honore legioni præpoſitus, Taricheam & Gamulam, vrbes validiſſimas Iudææ, in poteſtatem redegit: equo quadam acie ſub feminibus amiſſo, alteroq; inſcenſo, cuius rector contra ſe dimicans occubuerat.

Ad perdomandam Iudæam relictus nouiſſima Hieroſolymorum oppugnatione, XII. propugnatores totidem ſagittarũ confecit ictibus: cepitq; eam natali filiæ ſuæ, tãto militum gaudio ac fauore, vt in gratulatione Imperatorem eũ conſalutauerint, & ſubinde decedentẽ prouincia detinuerint, ſuppliciter necnon & minaciter efflagitantes,

vt remaneret, aut ſecum omnes pariter abduceret.

Initio, propalàm alium Neronem & opinabātur, & prædicabant. At illi ea fama pro bono ceſſit, conuerſaque eſt in maximas laudes: neque vllo vitio reperto, & contra virtutibus ſummis.

Humanitas & continentia.

Conuiuia inſtituit iucunda magis, quam profuſa. Amicos elegit, quibus etiam poſt eum Principes, vt & ſibi, & Reipubl. neceſſarijs, acquieuerunt, præcipueque ſunt vſi. Beronicen ſtatim ab vrbe dimiſit inuitus inuitam. Quoſdam è gratiſſimis delicatorum, quamquā tàm artifices ſaltationis, vt mox ſcenam tenuerint, nō modo fouere prolixius, ſed ſpectare, in publico omninò cætu,

nô cætu, ſuperſedit. Nulli ciuium quidquam ademit: abſtinuit alieno, vt ſi quis vnquam: ac ne conceſſas quidem ac ſolitas collationes recepit, & tamen nemine ante ſe munificentiâ minor.

Liberalitas.

Naturâ beneuolentiſsimus, in deſiderijs hominum, animum obſtinatiſsimè tenuit: nequē ſine ſpe dimitteret. Quin & admonētibus domeſticis, quaſi plura polliceretur quam præſtare poſſet: Non oportere ait, quēquam à ſermone Principis triſtem diſcedere. Atquè etiam recordatus quondam ſuper cenam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritóq; laudatā vocem edidit: Amici, DIEM PERDIDI.

Comitas erga populum.

Populum in primis vniuerſum tanta per omnes occaſiones comitate tractauit, vt propoſito gladiatorio munere, non ad ſuum, ſed ad ſpectantium arbitrium editurum ſe profeſſus ſit. Et planè ita fecit. Nā nequè negauit quidquam petentibus: & vt quæ vellent, peterent, vltrò adhortatus eſt. Ne quid popularitatis ꝑtermitteret, nonnunquā in thermis ſuis, admiſſa plebe, lauit.

Prouidentia.

Quædam ſub eo fortuita ac triſtia acciderunt: vt conflagratio Veſeui montis, in Campania: & incēdium Romæ, per triduū, totidemq; noctes: item peſtilentia, quanta nō temerè aliàs. In his tot aduerſis ac talibus, non modo Principis ſollicitudinem, ſed & parentis affectum

vnicum præſtitit: nunc conſolando, per edicta: nunc opitulando, quatenus ſuppeteret facultas. Curatores reſtituendæ Cāpaniæ è Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſeuo, quorum hæredes non exſtabant, reſtitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Vrbis incēdio nihil, niſi ſibi publicè perijſſe reſtatus, cuncta prætoriorū ſuorū ornamenta operibus ac templis deſtinauit: præpoſuitque complures ex equeſtri ordine, quò quæque maturiùs peragerentur. Medēdæ valetudini, leniendiſq; morbis nullā diuinam humanamque opē non adhibuit, inquiſito omni ſacrificiorum remediorumquè genere. Inter aduerſa temporum, & delatores mandatoreſq; erant ex licētia

veteri. Hos aſſiduè in foro flagellis ac fuſtib' cęſos, ac nouiſſimè traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubijci in ſeruos, ac venire imperauit: partim in aſperrima inſularum auehi. Vtq; etiam ſimilia quādoque auſuros perpetuò coërceret, vetuit inter cætera, de eadem re pluribus legibus agi, quæriuè, de cuiuſquam defunctorum ſtatu, vltra certos annos.

Clementia, & manſuetudo.

Pontificatum maximum ideò ſe profeſſus accipere, vt puras ſeruaret manus, fidem præſtitit: nec auctor poſthac cuiuſquam necis, nec conſcius, quamuis interdum vlciſcendi cauſa non deeſſet, ſed periturum ſe potius, quàm perditurum adiurans. Duos patritij generis conuictos

ctos in affectatione Imperij, nihil amplius, quàm vt deſiſterent, monuit, dicens Principatum fato dari, ſi quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum: & confeſtim quidem ad alterius matrē, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit, qui anxiæ filium ſaluum nūtiarēt. Cæterùm ipſos non ſolum familiari cenæ adhibuit, ſed & inſequēti die, gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtriâ collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit. Fratrem inſidiari ſibi non deſinentem, ſed pæne ex profeſſo ſollicitātem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit: ſed, vt à primo Imperij die, conſortem ſucceſſ-

ſoremque teſtari perſeuerauit: non nunquam ſecretò lacrymis & precibus orans, vt tandem mutuo erga ſe animo vellet eſſe.

Innocentia, mors, mærorq́; publicus.

Inter hæc morte præuentus eſt, maiore hominum damno, quàm ſuo. Spectaculis abſolutis, in quorum fine, populo coram, vbertim fleuerat, Sabinos petit, aliquanto triſtior: quòd ſacrificanti hoſtia auffugerat, quodq́; tempeſtate ſerena tonuerat. Deindè ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cum indè lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur cælum: multumq; conqueſtus, eripi ſibi vitam immerenti. Neque enim extare VLLVM SVVM FACTVM PÆNITENDVM, excepto duntaxat vno, Id quale fuerit,

erit, neque ipſe tunc prodidit, neq; facilè cuiquam ſuccurrat.

Vt palam factum eſt exceſſiſſe, non ſecus, atque in domeſtico luctu, mærentibus publicè cunctis, Senatus prius, quàm edicto conuocaretur, ad Curiam cucurrit: obſeratiſque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque congeſſit, quantas ne viuo quidem vnquam, atque præſenti.

Quâ ſanè vitâ Titi Cæſaris, cum lectiſſimi Principis, qui amor delitiæque mortalium cenſeri poſſit, Idea, ſeu Prototypon exprimatur, ea propter, integrã ferè, paucis omiſſis (non neceſſarijs) ob ſummum pretium, ex Tranquillo ſelegiſſe, nemo culpauerit. Nam, ſi viuam Princeps planè exprimit Dei imaginem,

nẽ, εἰκὼν βασιλεὺς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ: expreſſit Titus. Principem perhibet Homerus Iouis diſcipulum.

CAPVT II.

Auguſti, Annibalis, Selymi temperantia.

AVGVSTVS cibi minimi erat, atq; vulgaris ferè. Verba ipſius ex epiſtolis ſunt: nos in eſſedo panem & palmulas guſtauimus. Et iterum: dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cũ paucis acinis vuæ duracinæ comedi. Et rurſus: ne Iudæus quidem, mi Tyberi, tam diligenter ſabbatis ieiunium ſeruat, quam ego hodie ſeruaui: qui in balineo demum poſt horam primam noctis duas bucceas manducaui,

prius quàm vngi inciperem. Vini quoque natura parciſsimus erat. Non amplius ter bibere eum ſolitũ ſuper cænam in caſtris apud *Mutinam* Cornelius Nepos tradit. Poſtea, quoties largiſsimè ſe inuitaret, ſenos ſextantes non exceſsit, aut, ſi exceſsiſſet, reijciebat. *Sueton.* Conſtat ANNIBALEM, nec cum Romano tonantem bello Italia contremuit, nec cum, reuerſus Carthaginem, ſummum imperium tenuit, plus ſextario vini indulſiſſe. *Iuſtin. l. 32.* SELYMVS Turcarum princeps ſine conuiua diſcumbit, ac vno ferè ſimpliciſsimo cibo naturæ deſiderium implet. *Ioui. hiſt. lib. 14.* Hîc mihi ſuccurrunt aureola Fernelij noſtri dicta, de temperantia, quæ mihi ſuperius inter præcepta valetudinis ex-

ciderant: *Vna temperantia totius eſt iucundæ ſalubriſque vitæ moderatrix, Nullâ calamitate vel ærũnâ premetur, qui vitæ fundamentum iecerit temperãtiam.* Patholog. l. 1. c. 14.

D. Chryſoſt. in epiſt. ad Hebr. Nihil ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur, nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio.

CAPVT III.

Solymanni Turcarum Principis ſagacitas.

BIzantij Iudæus Chriſtiano certam auri ſummam mutuam dederat, vt conſtituta die, præter ſortem, vſuræ loco, duas carnis eiuſdẽ Chriſti-

Chriſtiani vncias reciperet. Die illa, ſortem reddit Chriſtianus, fænus negat. Aditur Solymannus, vt rem decidat. Ille Iudæum animo deteſtatus, nouaculam adferri iubet, & Iudæo poteſtatem facit, qua velit, membri parte, debitori duas carnis vncias exſcindat: ea lēge, vt omnīnò duas tantum: ſi minus, pluſue exſciderit, capite luiturum. Non auſus Iudæus hanc aleam ſubire, Chriſtianum abſoluit. *Martin. Delri.*

CAPVT IV.

Rei militaris neceßitas in Repub.

QVoties rectiſsimus ille iudex aliquam Remp. euertere cogitat, primùm eam armis nudat, & iuuentu-

uentutem effæminat, ne ſaltem poſſit honeſtam mortem in armis pro patriæ defenſiōe ſuſceptis oppetere. Legite hiſtorias, videbitis omnes propemodùm nationes, quæ ad ſummas opes & imperium peruenêre, poſtquam intoleranda ſuperbia & iniquitas in illarū mores inuaſit, præter alias pænas, quibus à Deo mulctatę ſunt, hanc etiam dediſſe, quòd omnes artes militares abiecerint, & ſe luxu atque delicijs corrūpi & effæminari permiſerint. Vt enim alias omittam, Hiſpania certè noſtra, priuſquā Arabes, qui *M*auritaniam incolebant, illam vaſtarent, iam erat armorum deſuetudine, & diſciplinæ militaris obliuione à Deo punita. Cum igitur Arabes in Hiſpaniam traiecêre, vix erat quiſquam

quam, qui illorum vultum aſpiceret: ſed omnes cum ſumma turpitudine& ignominia terga vertebãt. Vnde colligitur, armorum contẽptum, & negligentiam, eſſe pænam atque ſupplicium, à Deo nationibus, propter immania ſcelera, cõſtitutum. *Hieron. Oſor. de reg. inſtit.*

CAPVT V.

Miles quis requiratur.

MIles requiritur, noſter inprimis, in noſtris ſedibus natus, de noſtris popularib. dilectus. nam cum in reb. bellicis plurimum valeat celeritas, eaque vel maximè, contra Turcam, hoſtem expeditiſsimũ, neceſſaria ſit, milite opus eſt eo, qui non procul arceſſendus, diuq; expectan-

expectandus ſit: ſed ſit in promptu, & tanquam ad manum, ſemper que noſtræ poteſtatis. Atque hic, non temerè, neque caſu oblatus, ſed percenſitis omnib. qui arma ferre poſſunt, magno iudicio delectus. In quo maximè cauendum, ne is eligatur, qui molliori cultui, atque victui aſſueuerit, aut quem praua educatio vitijs infecerit, aut fregerit otium; ne vecors, ne inſanus, ne contumax, ne turbulentus, ne ſeditioſus: ſed ſit adhuc à delicijs integer, aptus tolerando labori, & cum bono corporis habitu, tùm verò, qui ſimplicitatē, probitatem, animiq; magnitudinem quandam, toto vultu, atque omnibus oris lineamentis præſeferat, ac ſpiret. Quæ de cauſa arti alicui laborioſæ, quam ſedentariæ

tariæ aſſuetũ, ruſticũ, quã vrbanũ, in mõte, quã in planitie, in re tenui, quàm in medijs diuitijs natum malim. Armatus haſtã vibrare, & verſare, gladio item & minore bombarda ſcienter vti, ſeruare ordinẽ, & ſub armis ad multum ſpatium decurrere conſueſcat. Veram laudem appetere, flagitium peius letho odiſſe, pietatem colere, & ab omni in Deum verborum contumelia ſibi temperare diſcat. Dicto audiens ſit ſuo duci, eiuſque animaduerſionem patienter admittat: in hoſtem ferox, in commilitonem lenis & tractabilis. Victus parſimonia, neq; crapulæ, neque ebrietatis ſuſpitioni locum relinquat. Suo ſtipendio ſit contentus, atque ab omni præda, præterquam conceſſa, ſe abſti-
neat

neat. Neque tamen ſtatim in aciem produci, aut de ſumma rerum, tyronem cum veterano velim decernere. Sed in ſtatiuis præſidijſue cũ collocari, & excurſionibus leuioribuſq; prælijs paullatim in belli coſuetudinem venire. Qua ratione vulnus pati, hoſtis conſpectum ferre, & timorem quem omnis nouitas afferre ſolet, ſenſim deponere conſueſcat. Homines armorum & rei militaris peritiſsimi conquirantur, à quibus tyrones, veris & germanis diſciplinæ militaris præceptis formentur. Hos ſumma virtute, cõtinentia, & ſobrietate præditos, nullis auaritiæ ſordib. cõtaminatos requiro. Quibus ducib9, periculũ nõ erit, ne falſum militum numerum

referentibus, publicum fraudetur ærarium. *Augeri. Busbequi.*

VALENTINIANVS Imp. rebus Germanicis rectè conſtitutis, in futurum quoque tempus ſecuritati Celticarum nationum proſpicere ſe debere arbitratus eſt. Quapropter maxima iuuenum multitudine, túm de barbaris Rheni accolis, tùm de ſubiectarum Romano Imp. gentium AGRICOLIS, collecta, numeriſque militaribus adſcripta, ſic eos in bellicis rebus exercuit, vt horum militũ exercitationis, & experientiæ metu, totos nouem annos, nemo Tranſrhenanorum ſubiecta Romanis oppida vexârit. *Zoſim. l. 3.*

CAP

CAPVT VI.

Leges in Republica.

PVlcherrima Strabonis nota eſt, & vel aureis literis ſignanda. Zaleucum illum Thurijs olim PAVCAS ET SIMPLICES leges dediſſe; ſed ſecutos, alias per ſubtilitatē, & nimiam curam addidiſſe: ex quo factum ſit, vt celebres magis, quàm boni redderentur. Additque dogma quātiuis pretij: Εὐνομεῖσθαι γὰρ, οὐ τοὺς ἐν τοῖς νόμοις ἅπαντα φυλαττομένους τὰ τῶν συκοφαντῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς ἁπλῶς κειμένοις. Bonis enim vti legibus, non, qui omnes ijs ſycophantias, aut calūnias cauent, & excludunt, ſed, qui ſimpliciter latis firmiter inhærent. Oraculū eſt, oraculū, Non multæ leges

bonos

bonos mores, bonum ius faciunt: ſed paucæ fideliter ſeruatæ. *Lipſ. in Polit.*

CAPVT. VII.

Lex faceta, ſed æqua, licet ſcripta ſanguine, de venæ ſectoribus.

Hippolyti Guarinonij. l. 5. c. 57.

NVlli Chirurgorum vel Balneatorum, ſub graui corporis pænâ, fas ſit, vlli mortalium, inconſultis medicinæ doctoribus vllam venam aperire. Etiãſi hoc ipſi miſſuri poſtulent, quinimò nec ipſi medicinæ Doctori, abſque alterius Medici expreſſo mandato. Ea enim venæ ſectio ſemper periculoſa, quæ

ſine conſilio Doctoris ſuſcipitur, ideoq; tutius & minori iactura intermittitur, quàm committitur. Quotiescunque verò quiſpiam illorum, vel ex ſua, vel ex mittentiū voluntate, venam quamcunq; aperuerit, toties etiam ipſimet ex eadē vena tantūdem cruoris detrahitor. Lex (me verſore) æri incidenda, & in ærārium recondenda.

CAPVT IIX.

Aurificium, Chryſopœia, Alchimia.

ALiquos, hac arte, verum aurū feciſſe, videtur valdè credibile. Quia tot, ea de re, narrationes ſunt diuerſorum, vt videatur procacis animi & perfrictæ frontis, nulli credere,

dere. Nec Chemici tantum, ſed & medici, & I. C. grauiſſimi teſtantur rem ipſam factam exhibuiſſe, Arnoldum, Lullum, Taruiſinum. Et hodie nominare poſſem, quos noui viros graues, in dignitate poſitos, & Deum timentes, qui de ſe ipſis idem profitentur. Quos mentiri, vel impoſturis, aut præſtigijs, aut dæmoniacis artibus vti, nunquam in animum meum poſſim inducere, & ſint iniurij viris honeſtiſſimis, qui queant id ſuſpicari. Non promiſcuè tamen, ſed cum delectu, ars hæc permiſſa, immo pleriſque, vt pernitioſa, ſic illicita cenſenda. Lucrum ex hac arte eſt illicitum, non enim licet hoc auro vti, ad cõmercia, contractusue vt ſtatuit Ioannes. 22. Nam aurum iſtud, vel nunquam

habet proprietates omnes veri auri, vel id adeò rarò contingit, vt cenſendum ſit, non contingere. Arnoldus Villanouanus, Lullus, Geber, Baconus, Richardus Anglicus, Magiæ nigræ ſuſpecti vehementer fuerunt, & Paracelſus, & Agrippa, & Guilhel. Conſtantinus, & alij nõnulli deprehenſi. Quia, vt plurimũ, Alchimiſtæ, quando non poſſunt pertingere ad finem intentum, quęrunt auxilium dæmonis, eum inuocant, & implorant, & implorando obſecrant, & tacitè vel expreſsè ei ſacrificant. Accedit experientia, quia quandocunque viguit inter multos alchimia, etiam inter multos tum viguerunt maleficia & ſortilegia, vt hoc infælici æuo experimur. Quod tempus otio licet ho-
neſtè

neſtè dare, illud licebit his ſtudijs, nec amplius. Otium voco, quietē & vacationem ab actionibus & ſtudijs, ad quæ quis tenetur. Imprimis ars hæc illicita cenſenda pauperibus, imò & priuatis omnibus periculi pleniſſima eſt. Manifeſtum id fit, tum quia hi ſolent lucrum ſpectare, & auro illo intendunt vti ad commercia, medicinas vel monetam: aut ſi ipſi non ſunt vſuri, periculum apertum eſt, ne vtantur hæredes. Iſti hac arte depauperantur, familiæ neceſſaria nō præbent, cauſa ſunt, vt vxores, & filiæ cogantur indigno ſequæſtu ſuſtētare. Cum media & inſtrumenta, propter inopiam, deficiunt, facile progrediuntur ad ſuperſtitioſa, imò & pacta cū dæmone. Optima igitur eſt (quam

aiunt Angliæ) lex, ne cui, ſine permiſſu principis, ſub pæna capitis, liceat Alchimicam exercere, quam legem expediret etiã alibi ferri. Patet etiã, (niſi quæ circũſtantia impediat) ordinariè hanc artem principibus, & valdè locupletibus eſſe licitam: qui & ea ſunt philoſophiæ cognitione, & eo ingenio, vt fraudib us & impoſturis non pateant, & ea pietate, vt à proximi & Dei offenſione ſe abſtineant, & illis opibus, vt ſubditos propterea non grauent, & eo ſubditorum amore, ac Dei timore, vt publicum regimẽ, vel pauperum ſubuentionẽ propterea non negligant, & habenas ſibi à Deo creditas, ipſi abijciant, & alijs planè tradant, Vt enim alijs honeſtis ſtudijs animum principes, quantum opus

eſt,

eſt, ſic & hoc ſtudio relaxare quin poſſint, non eſt dubitandum. Et Caietanus diſertè ſcripſit, ac prudẽter: Hanc artem vel nullorum hominum eſſe, vel principum duntaxat, audito ſapientum conſilio, eſſe. *Mart. Delr. l. 1. diſquiſ. mag. c. 5.*

CAPVT IX.

Spagirica, Chemia.

GAlenici nec Chemicos, nec præparationes eorum, conſentaneas rationi, accuſant, ſed eos iniquos iudicant, qui ſumma impudentia aliorum inventa rident, abijciunt, & conculcant, nec quidquam, niſi quod ipſi faciunt rectũ putant. De grege illo Angelum Salam eſſe teſtantur, maledica & ſcur-

rilia illa verba, quibus in præparationes eorum debacchatur. Diffe- runt ea, quæ heterogeneis ſordibus aliquando inquinata ſunt, à vegetalibus, ſumma dexteritate aſſeruatis, ab illis feces inutiles ſeparandas eſſe norunt omnes, hæc verò, quæ natura miſcuit, & ſub mixtione hac integra vſurpata experientia vtilia comprobauit, non iudicant temerè ab inuicē ſeparanda eſſe: præſertim quando omnes ad vſum medicum conſpirant. Non minus enim aliquādo propter vſus medicos, quam animæ hoſpitium, certam temperiem videntur accepiſſe. Quæ partes ſi Salæ venena ſint & ſtercora, alijs, mente nō captis, naturæ opera ſunt, quæ nulla ars imitari, & aſſequi poteſt, imò artis acceſſione, ſæpius

non

non tàm corriguntur, quam deprauantur. Cur omnia diſſimilaria diſſoluantur ab arte, quæ ipſa pro ſcoporum ratione non ſeparat ſolum ſed etiam componit? Videt igitur impudens ſcurra fœtorē ſtercoreæ ſuæ ſimilitudinis ſibi deſtinandum, cui crepitus ſuus benè olet, neminemq́; inter Galenicos exiſtimare venena & impura à puris ſeparanda non eſſe? Hoc potius controuerſum eſt, quid purum aut impurum appellandum ſit. Velle enim ea, quæ natura ad perfectionem indiuidui neceſſaria, omnibusq; tributa indidit, & experiētia longo vſu vtilia eſſe probauit, ſub impuri & veneni nomine ſemper & indifferēter à cæteris partibus ſeparare, plus ſapere eſt, quā opus ſit. Quid ſi in ijs

partibus quas aliqui tanquam feces & inutiles abijciunt, ſumma craſeos energia reſideat? Alia eſt ratio, ſi heterogeneæ partes eiuſdem ſubiecti propter diuerſos fines ſeorſim ex petitæ, compertæ ſunt profuiſſe. *Henric. Lauater. Med. Tigurin. aduerſus calumnias Angeli Salæ.*

CAPVT X.

Interitus Rerump. per iniuſtitiam. & luxum.

SCedaſus fuit in Leuctris, homo tenuis, commodus tamen, & hoſpitalis. Huic erant duæ filiæ virgines, formâ eximiæ. Cum autem duo Spartani adoleſcentes ad illũ diuerterent, fuêre ſatis humaniter accepti. Ii virginibus oculos adiecere

cêre, atque ne vim ſtatim inferrent, fuêre hoſpitis humanitate prohibiti. A Bœotiâ verò redeuntes ad eundem hoſpitem diuerſati ſunt, is autem aberat. Virgines autem patrijs inſtitutis ad omnem rationem humanitatis eruditæ, illos ſanè hoſpitaliter excipiunt. Illi virginibus per vim vitium inferunt, &, iniuriam grauiſſimè lamentantes, interimũt, & corpora in puteum abijciunt. Redijt Scedaſus, filias non offendit: dum hæret & dubitat, catella ſæpe veſtis laciniam apprehendens, ſæpe in puteum curſitans & oblatrans, atque gementi & queribundæ ſimilis, dominum id non temerè fieri ſuſpicantem, ad puteum perducit. Ibi demum calamitatis ſuæ magnitudinem oculis aſpexit, filiarum

corpora è puteo extraxit. Cum vero è vicinis accepiſſet eos adoleſcẽtes eo diuertiſſe, neque poſtridie illius diei, quo ſe domum illius receperant, illos aut virgines comparuiſſe; intellexit planè, ſcelus illud ab adoleſcentibus fuiſſe conflatum. Rectà igitur Lacedæmonem pergit, vt eorum nomina apud Ephoros deferat. In Argolica vero regione, cum audiret ſenem quendam Orci diras clades Lacedæmonijs imprecantem, de illo quæſiuit; quãnam iniuriam à Lacedæmonijs accepiſſet? Narrat illi ſenex, quo pacto filius illius probus & honeſtus adoleſcens fuiſſet ab Ariſtodemo Lacedæmonio, qui ius apud illos dicebat, crudeliſſimè iugulatus, eò, quòd ſtuprũ ab illo pati nullo modo vo-

do voluiſſet: & deinde, quomodo is Lacedæmonem profectus ſit, vt hominem deterrimum apud Ephoros, accuſaret; Ephori verò nullam rationem tanti ſceleris habuerint. Id cum Scedaſus audiret, extimuit, ne ipſe etiam fruſtra de hominibus improbiſſimis, qui tàm nefando ſcelere ius hoſpitij violârant, quereretur. Nihilominus Lacedæmonem contendit. Ibi primùm Ephoros, deinde reges, poſtremò omnes qui multum in ciuitate poterant, conuenit; apud omnes, cum multis lachrimis de iniuriâ ſibi illatâ cõqueritur; fidem implorat, numen obteſtatur, vindictam flagitat, nemo tamen illius querimonias ad aures admittit. Senex igitur, tàm atroci iniuria ſtimulatus, minimè mentis

compos, per mediam vrbem diſcurrebat: manus in ſolem tendebat: modò terram percutiebat, modò furias ſcelerum vltrices inuocabat, vſque eò, dum mortem ſibi conſciſceret. Breui tamen vniuerſa Reſp. ſceleris atq; flagitij illius pænas exoluit. Epaminondæ enim virtute, in pugna Leutrica, ita conciſa fuit, vt nunquam poſtea poſſet in amiſſas opes reſtitui. Memoriæ proditum eſt ante illam pugnam Scedaſum ſecundum quietem viſum eſſe in ſomnis dicere Pelopidæ, qui ſimul cum Epaminonda bello præerat, Lacedæmonios adfuturos, vt eo in loco, in quo tantum ſcelus à ſuis ciuibus impune commiſſum fuerat, pænas illi atque virginibus quæ violatæ, & occiſæ fuerant, vniuerſi penderent

derent. *Oſor. de Reg. inſtit. Senecaait: Conuiuiorum & veſtium luxuria ſunt indicia ægræ, imò morituræ ciuitatis.*

CAPVT XI.

Medicorũ in Rep. dignitas.

MEdicos, & maximè Archiatros, vel Exarchiatros &c. vnà cum vxoribus & filijs, nec non & rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel ciuilibus, vel publicis, immunes eſſe præcipimus. Et neque in prouincijs hoſpites recipere, nec vllo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel exhiberi, vel iniuriam pati. Vt, ſi quis eos vexauerit, pœna arbitrio iudicis, plecta-

plectatur. Mercedes etiã eis, & Solaria reddi iubemus, quò faciliùs, liberalibus ſtudijs, & artibus, multos inſtruant. *Imperator Conſtantinus Magnus. C. de Profeſſorib. & Medicis, lib.10.tit.52.*

Non præteribo, quod memoria dignum facio, à Magnifico Pandulfo Malateſta actũ. Qui cũ pluriũ ciuitatum, Briſiæ, Pergami atque Fani Dominus eſſet, Magnificos Dominos hos ad commenſandum accerſiuit. Illuſtrem videlicet Nicolaum Marchionem Eſtenſem, Ioannem Franciſcum Mantuæ primum Marchionem, Carolum Ariminenſem de Malateſtis, Malateſtam de Piſaurio, Malateſtam de Ceſenis, quos in menſa ſua certo cum ordine collocauit. Stabat enim extrà digniori in

loco

loco honorata ſedes, quam cæteri
eum (Principem Pandulfum) oc-
cupare debere putabant, & admirã-
tibus his, quos ſanitatis dignitas la-
tet, Iacobum Reginum, à varijs no-
minatum famoſum, Phyſicum ſuũ,
manibus traxit, & illum ea in ſede
magnificè locans inquit. Sede hîc
noſtræ ſanitatis glorioſe pater, quẽ
magnificare extollereque principes
omnes ſic deberent. Quod enim
nobis regnum eſt ſanitate va-
cante? *Michael Sauonarola in
præfat. lib. de balneis.*

CON-

CONCLVSIO.

POtuiſſent equidem, hæc Selecta, non magno negotio, ruminando, voluendo, & quaſi concoquendo, in proprium ſuccum, & ſtylum Selectoris qualemcumque, tranſformari, niſi, ſpretâ gloriolâ, nihil penitus ſaluberrimorum documẽtorum fidei, nihil auctoritati detrahendum, quin imò ſtylorum varietati ſuam quoque conſtare gratiam, cenſuiſſet. Quanquam verò librorum ſcribendorum nullus eſt finis, huiuſce tamen libelli primi, finis hic eſto: TIMERE DEVM, HOC EST OMNIS HOMO.

PRIMAE SYLLOGES FINIS.

AD

AD AVTOREM.

QVONDAM PER LVSTRA DVO, INCLYTAE REIPVBLICÆ FRIBVRGENSIS Heluet. Medicum & phyſicũ peritiſſimũ feliciſſimumque.

CVr tibi ſic libuit noſtras dimittere terras?
Atq; aliò placuit vertere vela tibi?
inuidiſti, ſcitu digniſsima nobis?
Quos noſti varijs te coluiſſe modis?
nos Selectis, vel te renuente fruemur,
Vt prope nos maneas, ſis licet ipſe procul.

AD LECTOREM.

LEctor amice, nouum cernis prodiſſe libellū
Cōmoda qui tantum, nec niſi certa doce
Nam meliora refert Autoribus eruta pri
ſcis:
Et caret hic omni fabula vana loco.
Ciuica cum medicis aptè mirabere mixta,
Nec non quæ phyſices cognitione latent.
His igitur fruere, aſsiduo quæ parta labore,
Et de Selectis, ſelige grata tibi.

ALIVD.

QVID iuuat innumeris reple
ſcrinia libris?
Optima de innumeris iſte libe
lus habet.

*Nicolaus Mul Fribur-
genſis Heluetius
Philoſophus.*